


Diarium obsidionis Lovaniensis ab exercitu Gallico et ...



Tryck // / I25 B 14 c Br. 1635

Tillkomstår 1635.

Digitaliserad år 2019

DIARIVM OBSIDIONIS
LOVANIENSIS,
AB EXERCITV
GALLICO ET BATAVICO,
A V S P I C I I S
FREDERICI HENRICI
PRINCIPIS AVRIACI.

In quo quæ in Vrbe potissimùm, & foris etiam gesta, à
vigesima die Iunij, vsque ad quintam Iulij,
Anno ∞ . 19c. xxxv.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. 1. Reg. 2.



L O V A N I I,
Apud PETRVM PANGARTIVM,
& ERYCIVM RIVIVM. Anno 1635.
Cum Privilegio.

Hist. nat. Pol. (Am.) 1635

DIARIVM OBSIDIIONIS
 LOVANIENSIS
 AB EXERCITV
 GALLICO ET BATAVICOR
 A V S T R I C I S
 FREDERICI HENRICI
 PRINCIPIS AVSTRIACI

In quo quae Vis peraguntur, et solentur, et
 quae illi, et quae illi, et quae illi, et
 quae illi, et quae illi, et quae illi, et
 quae illi, et quae illi, et quae illi, et



LOVANIENSIS
 AB EXERCITV
 GALLICO ET BATAVICOR
 A V S T R I C I S

Petr
 fis. a
 te au
 leve
 puen
 bitis

SVMMA PRIVILEGII.

Philippi IV. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, Ducis Brabantiae &c. privilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Petri Pangartij Typ. Iurati, imprimat Diarium obsidionis Louanien- sis, auctore F. Io. Riuio Ord. Eremit. S. Augustini, Latine Teutoni- ce aut Gallice, aut alibi impressum in ditiones Regias importet vana- leue habeat Qui secus faxit, exemplarium confiscatione, & alia graui poenâ multabitur, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ 20. Octo- bris, 1635.

Signat.

FOVRDIN.

E R R A T A.

- Pag. 5. adonarent, *leg.* adornarent.
 Pag. 7. ablopti, *leg.* absorpti.
 Pag. 27. staturam, *leg.* statuum.
 Pag. 31. de la Berignyes, *leg.* de Beugnyes.
 Pag. 39. Nofoconium, *leg.* Nofocomium.

Amice

Amice Lector.

VMMMA PRIVILEGLI

N Vllis te ad obsidionem Louaniensem, aliarum rerum praecambulis, aut repetita alius historia, fatigare volumus. Taceo de conflictu Durbuensi, de Theneysi Laniena &c. quod extra contextum nostri Diarj sint. Ita sicuti per obsidionem potissimum consecimus, minimum formidantes ab hoste Louanium expugnatum ita nihil praeterea adferimus. Habes ergo sine ullo proemio enarrata, quae hisce oculis vidimus, & a fide dignis hisce auribus audiuiimus. Quae videri non poterant, neque semper a pluribus audiri; accepimus ab eis qui coram adfuerunt, & ignorare non possunt: neque tamen omnia, scio. Hostium foris opera, dum adhuc recentia integraque, ac nullis praeterquam manibus ipsorum & pedibus, tacta & trita; plusquam vice simplice visum iuimus atque expensum. De consilijs eorum non pronuntiamus idcirco, sed coniectamus. Erunt qui penitus ea indagabunt: & quod rudi nos, ac pingui; elegantiore penicillo, & magis viuus depicta coloribus, exhibebunt. Tantum est. Louanij. XV. Kal. Nouemb. CIO. IXC. XXXV.

Amice



Die Vigesima Iunij.



N OCTIS illius conticinio, quâ per emissarios hostium, ex igne qui desultorius hinc inde, distantibus locis grassari inceperat, pronum est conijcere, suscitatum Louanij extra Portam S. Michaëlis, grande, domorum circiter viginti, incendium est; castra sua hostis è vicinia Thennensi, mouere cœpit. Quamquàm autem hactenus, omnium propè ea fuisset opinio, vt recto itinere Louanium prouolaturum existimarent: & in eum finem, Sereniss. Princeps Cardinalis FERDINANDVS, Hispaniarum Infans &c. tumultuario opere, castra sua, extra Portam Bruxellensem, longè latequè communiri iussisset; relicto tamen ad latus Louanio, ad tractum Wauriensem viam capessuit. Diripuit in transitu Geldoniam, Brabantiaë Walonicæ Oppidulum, nullâ arte, præsidioquè munitum: Ecclesias item, Bauechinensem & Torinensem in solo Leodiensi: adhæc Cisterciensis Ordinis Virginum Abbatiam, vallem Ducis nuncupatam. Quando hinc aberant Virgines, non Templi, non imaginibus, & sacris Sanctorum Lipsanis pepercit. Indignum satis apud Christianos memoratu est, quod

A

hic

hic loci; porcinas vtrimque aures, Statuę D. Virginis Matris, aut S. Ioannis Euangelistę, clauis annexerunt. In valle Florida, eiusdem Ordinis, quem dixi, Virginum Abbatia altera, cuius neque Templo, Altaribus, Statuis sacris, Campanis denique paruitum; quatuor pontibus Diliam vniuit. Per hos, ę mensis hinc inde sublati, alijsq; asseribus, subitatio opere constratos; pedestres potissimum copię, tormenta & impedimenta omnia, transmissa sunt: etenim per tenuem ibidem Diliam, complanatis vtrimque ripis, magna pars Equitatus transijt. Et quamuis festinatis itineribus, totus exercitus, diu noctuque ferę, viam deuoraret; triduum tamen ferę est elapsum, priusquam Diliam vltra, postrema Acies peruenisset. De motis hostium Castris, redditus certior Princeps Cardinalis, eodem die Louanio mouere quoque statuit, & penitio in Belgij viscera aditu, hostem tantisper prohibere. Docuit deinde euentus, quantum ad eludendos ipsius conatus & vires, momenti habuerit, repetitus ille castrorum saltus: quo Thenis Louanium; hinc Bruxellam cis, vltraque migrarunt. Premisit igitur Exercitum suum, compositis Ordinibus: & dum deserendę nunc quadam tenus Vrbi, non de machinis dumtaxat æneis, sed & nitrato puluere prouidisset, ad septimam vespertinam, alacri & Regio prorsus animo hilarique facie, demum ipse secutus est. Noctem illam, ad captanda tantę celerius hostium consilia, sub dio peregit, vnā cum suis, & copiosa quę ex omni Hannonia, Artesia, sed & alijs prouincijs, Nobilitate aduenerat, vnū cum Principe, aut subitura periculum, aut habitura victoriam. Ceterum quem, & quomodo, Louaniensibus Gubernatorem dederit, commoratus adhuc Louanij, paulo altius edisseram. Venerat illuc sexta Iunij, Antonius, Baro Grobendoncquius &c. toto Belgio notissimus, vt

inde

inde prope Thenas in Castra Regia transfret: cum ecce in
 Porta Thenensi percepit, loco ea moueri, & Louanium
 vniuersim transferri. Diuersatus igitur ibidem, cum ad
 hospitium Principis Cardinalis, ad vesperam se contulisset;
 fuit à Marchione d' Aytona, benignè admodum & lætan-
 ter salutus. Idem deinde fecit Comes Isenburgius in pla-
 tea: qui cum interrogasset Grobendonquium, vtrùm ne
 Celsitudinem suam, aditu veneratus fuisset? dicenti, id non-
 dum à se factum, respondit; vtiq̃ se Principis affatum pe-
 tere: significaturum eadem operâ, ipsius huc aduentum, in
 tanta etate, quæ septuagesimum tertium annum numerabat,
 & incommodâ valetudine: id esse sincerum & solidum erga
 Regiam Maiestatem & Celsitudinem suam, indicium affe-
 ctus & obsequij. Pauculis post diebus, cum Sereniss. Prin-
 cipem, Grobendonquius conuenisset, iamque expectaretur
 Louanium petiturus hostis; accepit à Præside Conci-
 lii Rosa, litteras, quibus scribebatur, hanc Principis volun-
 tatem esse, vt in curam suam Oppidi Gubernationem accep-
 taret. Et quamquàm Grobendonquius, qui tot armorum
 numeris olim imperauerat, ab hoc onere gubernandæ Ci-
 uitatis, immunem se, liberumq; reddere niteretur, tamen
 cum Principi ita visum foret, acquiescere se deniq; respor-
 dit: quando nihil vnquam habuit antiquius, quàm vitam,
 & bona omnia, Regiæ Maiestatis obsequiis impendere. Er-
 go commissionem hanc suam, paulò post, ad Magistratus
 Oppidi retulit. Scio Oppidanos in Grobendonquii iam
 Gubernatoris, animis & militari prudentiâ, si periculum a-
 liquod, quale postea vidimus, ingruisset, plurimum fidu-
 ciæ repositum habuisse; & sensisse quod res erat, non
 potuisse curam illam, à Principe Serenissimo, in alterum
 magis idoneum conferri. Antequam Louanio Princeps

4
 excederet, vocato ad se Grobendonequo, rursus Oppidum
 commendauit: & Legionem Walonicam Conrardi d'Au-
 bremont, Toparchæ de Rybaucourt, mille circiter capitum
 præsidii nomine adiecit.

XXI. Iunij.

Alterius diei bono mane, cum scriptas ad Principem
 litteras complicaret, adfuit Officiarius quidam mili-
 taris, qui nuntiaret, Principem Grobendonequi alloquium
 affectare. Profectus ad eum vno à Louanio miliari, Brux-
 ellam versus, inter cetera poposcit, si Princeps (quod du-
 bium non erat) seruare Louanium vellet, maius vtique &
 copiosius præsidium: in tanta præsertim Vrbs amplitu-
 dine, quæ quatuor in circuitu, milliaria Italica complecti-
 tur: neque vllas, quæ hæc ætate nomen merentur, mu-
 nitiones habet. Dum variarent hæc in re multorum consi-
 lia; finem his omnibus auctoritate suâ, Princeps imposuit:
 & ad Legionem d'Aubremontiam, tres item alias adiunxit.
 Germanicam Comitum Emdani, sub imperio Viri Nobilis,
 Adolphi Eynthouts, Protribuni: Walonicam, Lanceloti
 Baronis Wesemalii, Filii Gubernatoris: & denique Hi-
 bernicam, Thomæ Prestoni, Viri apud Hibernos, Nobil-
 issimâ vetustissimâque, totius Hiberniæ, Scotiæ, & An-
 gliæ, vice-Comitum de Gormanstown domo: veterani
 iam inde ab adolescentia sua in Belgio militis, & vtriusque
 armaturæ Ductoris. Atque hæc omnes Legiones, hodierna
 die ad vesperam, urbem subierunt. Erat quidem Hiber-
 nica, recens à Tribuno suo conscripta: ceteræ non vnâ ob-
 sidione exercitatæ & celebres; sed cuius tyrocinium, ve-
 tera-

teranorum robori non cessit. Hæ quatuor Legionēs, numerum quater circiter millium conficiebant: nam quadringenti ex Wesemalia, Carlomontium antea destinati fuerant. Et hoc fuit Louanienſe præſidium, præter dimidiam Equitum turmam, Ductoris Nobilis Viri Philiberri de S. Quintin. Porro Gubernator vt cum Oppidano Magiſtratu tantò promptius faciliuſque tractaret, hoſpitiū in quo fuerat hætenùs, cum ædibus Collegii Sabaudici commutauit. Aſſumſit etiam cuiuſope internuntiā, aliāque, propter affectam valetudinem ſubinde vteretur, Adiuuam, vt appellant, Ioannem Baptiſtam vander Vorſt, Toparchæ Loonbekani Filium, ex Capitaneo, Virum Nobilem & Strenuum, domo ac origine Louanienſem: qui per dia pernoctæque ſollicitudine, quantum quiſque Patrię debeat oſtendit.

XXII. & XXIII. Iunij.

VT quam naſti fuerant, tuendæ Vrbiſ ſpartam, iam inde ab initio aduentus in eam, Tribuni adonarent; cœperunt vigefimā ſecundā & tertiam Iunii, mœnia, portas, & valla, vbique omnia obire: intueri quæ muniendæ, ad latus, vbi exſpectabatur hoſtis, plagæ, neceſſaria fortalitia, qui aggeres & ſepimenta: maximè vbi cuique periculum ſuum, vti dicemus, ſortis alea detulerat. Poſtquàm verò in Ducatus Brabantię præcordia, hoſtis irruiffet, Louanium & Bruxellam inter; quatuor omninò dies, immanitate, ſacrilegiis, & direptione, ſicuti Thenis antea fecerat, tranſegit. Combuffit in primis Eccleſiam inferioris Iſcæ cum perſonis in ea quinque: Furenſem deinde, plurimum

rium Brabantiae Ducum sepulchris inelytam : Canonico-
rum Regularium duo Cœnobia, vnum Rubæ, alterum
viridis Vallis expilauit : interemtis in hoc tribus Religiosis
fratribus, quarto qui post obiit, in captiuitatem abducto:
nouum Furæ, & à Serenissima ISABELLA, augustæ
memoriæ, fundatum Patrum Capucinatorum Cœnobium,
cui præerat Reuerendus admodum Pater, Carolus, Ducis
Arshotani Germanus Frater, si non deformauit, in vten-
silibus tamen, & religiosa tenuique supellectile, diripuit.
Iam verò nec Arcibus, quamquàm non adedò munitis, li-
cuit esse impune. Furensis, vetus Ducum Brabantiae, ab
octingentis propè annis domicilium, excellentissimis nu-
per picturis, alijsque Regalibus ornamentis instructa, par-
tim direpta, partim est combusta. Domus, Arci & Ec-
clesiæ vicinæ, iniecto etiam immaniter igne, conflagra-
runt, Ab hoc municipio, grauiorem fortasse vindictam,
Galli exegerunt, quod Electoris Treuerensis hospitium
tantillo tempore fuerit : cuius se libertatem prosequi, mag-
nâ ambitione spargunt in vulgus. Arces item, Sterbekia,
& Hammensis in pago, Steinockersele, in quas Rustico-
rum sese opes retraxerant, direptæ sunt. Poterat quidem
postrema hæc, aliquot dierum obsidionem tolerare, quod
præterquàm esset munitissima; sat in eam virorum, armo-
rum & comæatus confluxisset: verùm quia accedens pro-
pius hostis, omnibus in illa vitam & bona libera pactus
fuerat, in illius se fidem dedit. Sera autem fuit deditio-
nis poenitudo, dum ablatis omnibus, etiam Ecclesiasticâ
Pagi supellectile, & aliquam-multis trucidatis & captis,
ab incendio demùm vindicari, numerato pretio debuit. In
Soniensem siluam, velut in tutum & securum, naturâ loci
receptaculum, tractus illius quem iam hostis occupauerat,
erant

7
 erant armenta omnia, & greges abacti. Metu fugientibus Rusticis, cesserunt hosti. Ditatus his omnibus, cum præter capienda Oppida, nihil superesset, ad obsidionem Louaniensem accessit.

X X I V. Iunij.

ERat tum Natale Sancti Ioannis Baptiste, dies, quo iuuentus festis ignibus accensis, passim in vrbs plateis insonat Cantilenam vulgarem, celestina abacti olim & profligati Martini Rossemii: qui Anno 1542. cum copiis partim Gallicanis, partim in Geldria conscriptis, quibus præerat Nicolaus Bossutius Longeuallius; eadem ferè, quàm modò, hostis plagà, castra sua metatus fuerat. Nullius alterius auspiciis, quàm Francisci primi Gallorum Regis: qui dum absentis in Africa Cæsaris, & iam à marinis fluctibus, vt quidem ferebat rumor, absorti, occasione utitur: sicut duobus Filiis, Henrico in citeriorem Hispaniam, & Carolo in Lutzemburgensem ditionem; Vindocinensi Principe in Atrebates & Morinos: in Pedemontium Guilielmo Langæo, cum iustis copiis, destinatis, subijcere sibi omnia parabat; ita Longeuallium, iuncto ei bellicarum rerum peritissimo Martino Rossemio, in totam quàm lata est Brabantiam dimiserat. At verò præter horrenda passim incendia & flagitia, nihil ibidem quod magnoperè referri debeat, designarunt. Ab illius vastatoris tempore huc vsque, præter vnum septennium, sæculum integrum euolutum est. Hâc obsidione, Rectorem Academicum agebat, Magnificus D. ANTONIVS d'AVRE Sacræ Theologiæ Licentiatus, Pædagogii Porcensis Regens, è Facultate Artium assumptus. Prætoris vrbanis officio fungebatur, Vir Nobilis, Ioannes vander Vorst, Teo-

parcha de Winghe &c. Consules erant, Vir Nobilis Franciscus de Sain& Victor, Eques, Toparcha de Bommalette &c. & Petrus vanden Broeck. Spectandum se præbuit hostis, duabus ante meridiè horis, inter occidentalem & septentrionalem vrbs plagam. De distribuendo per moenium amplitudinem præsidio, iam ante, simul ac erat ingressum, Gubernator prudenter gnauiterque cogitauerat. Ut enim nulla oriretur, inter quatuor Tribunos, eorumque Legiones, quia non idem vbique periculum, inuidiæ, æmulationis, aut querelarum occasio; placuit, vt quæ cuique Legioni portæ, sorte obtigissent, eæ permancerent. In tot ergo partes, quot Tribuni, distributa est vrbs vastitas. Obtigit Prestono, porta Vinearum quam nonnulli Viluordiensem nuncupant & Mechliniensis: ad quas cum expectaretur magna ex parte impetus: exhortatus est tyrones suos, ingentibus animis vt essent: voluisse fortem hic esse virtutis eorum seminarium. Protribuno Eynthouts, Arschoana & Diestenfis: Wesemalio, Thenensis & Parcentis: Rybaucourt, Heuriensis & Bruxellensis: quarum postrema hæc, quæ vergit ad Vinearum, cum fossis suis, erat omnium maximè infirma, sed quam robore suo Walones, & audacibus excursionibus mirificè munierunt. Etenim in has fossas, quæ stagnantibus aquis olim magnâ partem repletæ esse solent, agri vicini inundatione à pluuiis ortâ, plurimum arenæ defluxit, quæ veterum aquarû sedem nunc occupat. Quamquàm autem statua hæc, Legionibus singulis fors detulisset; quando tamen nimis laboribus, excursionum, vigiliarum, &c. premi locii videbantur: adferebat vna alteri voluntarias suppetias. Statua quoque sua, eodem die designauit hostis. Castilionius Franciæ Marefchallus, Cœnobium Virgînum Banckenfê, & agrum

agrum post illud insedit, cum parte sua Gallorum. Aiunt
 hunc, reformatæ Religionis esse, & Colignya ni fallor do-
 mo; quæ Gasparem olim Franciæ Architalassum dedit,
 Parisiis anno 1572. in feriis S. Bartholomei trucidatum.
 Odetum quoque, Architalassi fratrem, Archiepiscopum
 quondam Tholosanum, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem:
 sed deinde Apostatam, & foederis Calviniani, ad Elisabe-
 tham Angliæ Legatum. Quod si is est; certè amitini Ca-
 stilionius & Auriacus sunt. Memini audire à viro fide dig-
 no, abacum quidem cum Crucifixi imagine, ante quam
 preces suas quotidie Castilionius profundat, in conclau-
 habere: sed qui addebat, ad speciem politicam potius, quàm
 ad veram pietatem, fieri istud arbitrari. Castra ergo sua
 ubi Castilionius habuit: potuit sanè aggeribus & vallo ex-
 citato antea à nostris, vice munimentorum ad dextrum la-
 tus uti. Marchio aut Mareschallus Breseus, in prædio Die-
 pendalio, quod Abbatix Vlierbacensis est, statua sua ha-
 buit. Breseus hic, ut docet insigne Ordinis Sancti Spiri-
 tus, quod gerit in veste extima, professione Catholicus
 est: ut adeò libertatem suam plures Religiosi & Sanctimo-
 niales, ab ignibus tum Vulcani, tum Veneris abstracti
 Thenis, clementiæ ipsius imputent. Princeps Auriacus
 cum Bullionio Duce Governatore Traiectensi, & aliis,
 castra metatus denique fuit, inter pagum Herent & mon-
 tem Roofselanum, nec non in pago Winxelenfi: totius
 huiusce Exercitus & expeditionis Imperator, quique iam
 tum uniuersum Belgium, immaturâ adhuc & nimis vastâ
 spe deuorauerat. Sanè sunt, qui in laniena Oppidi The-
 nensis, cum flammæ eminens cælo ascendentes intueretur:
 & intelligeret ibidem milites, passim per immania stupra,
 & sacrilegia grassari; Gallicâ linguâ dicentem audierunt:

B

Sic

Sic oportet animare milites, vt leonum instar pugnent. Erant præterea cum Auriaco, Ordinum rebellium Deputati, numero, vt fertur, quatuor: Van Ammeronge: Huygens: Pauw: & de Knuyt, cum Actuario suo de Ionghe. In Arce Heuriensi diuersorium suum habuit, armamentarij Gallicani Præfectus de la Maillier, Catholicus item, & Ordinis S. Spiritus Eques. Et quamuis totius exercitus militum, certus à me numerus iniri non possit, ad quinquaginta tamen serè millia fuisse, vulgò creditum est. Alij audent supra sexaginta asserere. Tormenta secum, partim maiora, partim mediocria trahebat, centum circiter septuaginta: præter innumeros currus, aliaque impedimenta: quæ succedente postea rerum penuriâ, plus damni, quàm commodi peperisse, seriùs hostis deprehendit. Quamquàm autem in Gallis, plures essent vestitu & habitu, quàm armis meliores: extitisse tamen integras turmas, cum sclopis, qui sine vlla rotæ circumgyratione, solo chalybis siliis affricu, derepentè dant ignem, adeoque parati sunt, vulgò iactatum est. Imò asserunt plerique, dum è Gallia præsentem exercitum Rex dimitteret, Auriaco per litteras significasse, florem roboris Gallicani hunc esse: neque, si ita res ferat, optaturum se alium, cui sceptri & diadematis sui, fata committeret. Sed cum Louanense Oppidum, non plurisquàm ientaculum efuriens, fecerint: quid causæ fuerit, cur equidem tam diu stabulari maluerint in castris & prætenturis suis, neque inuadere repentè, aut parum munitos opprimere tentauerint, iuxta cum ignorantibus scio. Etenim dum terunt tempus, expilando Cœnobìa, & Pagos & Prædia, multos suorum amiserunt: quorum turmatim plures fugam capelebant: alij à rusticis passim neci dabantur. Sperabant fortassè, per-
tælos

tæfos imperium Hispanicum Belgas, sponte suâ ex urbibus,
 ad libertatem Gallicam, Batauicamque prouoluturos : &
 portarum omnium claustra laxaturos. Id si fuerit, toto cæ-
 lo errarunt. Neque enim tam mentis aut inopes, aut im-
 potes Belgæ sumus, vt pro suauissimo Regis Hispaniarum
 dominatu, cui nos lex & natura subiecit : aut inconstantiam
 Gallicam, aut Batauicam tyrannidem, eligamus. Quare
 procul à nobis cum illo suo, belli titulo & prætextu fa-
 cessant, quo accedere se dicunt ad debellandum nos, vt in
 libertatem è iugo vindicent. Non querimur sanè, nec do-
 lemus. Queruntur & dolent magis, qui manibus Regijs vi
 & perfidiâ erepti, deuenere in vngues Batauorum. Ac-
 cedente demùm propiùs & propiùs hoste, domus suburba-
 nâ ad portam Bruxellensem, decem circiter numero, sub
 meridiem, iussu Gubernatoris, igni traditæ sunt : ne fortè
 aut subitariâ audaciâ, aut intempestâ nocte, hostis eas in-
 uaderet, cominusque audiret, quid domi in Vrbe dicere-
 mus. Eâdem postea nocte, ignis iniectus in suburbium
 Heuriense : pauculis tamen, iisque vicinioribus portæ ædi-
 bus, studio nescio an casu, ab igne seruatis. Est torrens,
 ante portæ Heuriensis vestibulum, exiguus quidem, sed
 qui excluso ab Vrbe, per obicem aquarum Diliâ, quantum
 patiebantur oppidanæ molæ, longè lateque exundauerat :
 cuius lapideus pons pertusus, cœcum gurgitem transituris
 præbuit. Porta etiam Bruxellensis, valido fatis è cespite se-
 pimento, vndique munita & cinctâ est : acutis super hoc
 sudibus quaquaversus extensis. Et hæc quidem primo obsi-
 dionis die, magnâ celeritate gesta : dum eodem interim &
 sequenti, Louanienses, crebro tormentorum fulmine,
 hostem, opportuna ad oppugnandum urbem, aut incuti-
 endum terrorem loca, dispicientem, tribus quatuorue par-
 tibus

tibus salutant. Ceterum ab hac die, vsque ad vigesimam septimam, præter valla, aggeres &c. quibus se ab omni parte muniret: & accessorios cuniculos, quibus ad Urbis fossam, insigni altitudine præditam, adeoque metuendam, appropinquaret hostis, nihil conijci fecisse potest. Ut autem non taceamus quod res est, fuit à plerisque ciuium, intus in Vrbe, quibus ad tam copioso hosti resistendum, (quamquam plus caloribus quam virium, Galli sciebantur adferre) videbatur non satis munita, paullulum trepidatum: idque hodie, & deinde quo die, maioribus tormentis, mœnia verberari cepta: sed quæ postea formido, tum aliorum, tum prædiariorum animis, & assuetudine audiendi bellica tormenta, etiam in pueris & mulieribus subsedit: quando iam omnibus gratior erat mors, quàm patientia calamitatis & contumeliæ Thenensis. Hâc die ad vesperam, captus ab hoste ciuis quidam, ad exitum quàm ad reditum cautior: dum tantisper detinetur à Gallis in Coenobio Bancenkensi, & redimijis quinquaginta, Pataconum, vt aiunt, tertiâ demum Iulij remittitur in urbem, dedit abicuri hostis prudentioribus indicium.

xxv. Iunij.

Obsidionem inchoari, Gubernator per litteras, Principi Cardinali significat. Quemadmodum autem hesternò die, dum murum vrbis lateritium, inter Bruxellensem & Vinearum portas, iustò altiorem, quàm vt explodi facillè bombardæ possent, milites non nihil demoliuntur, iussi erant Religiosi omnes, cum ligonibus & sarculis, ad loricam infra murum, intus, excitandam, præcepto Gubernatoris

bernatoris adesse; ita non segniùs hodierno, & deinceps
 citati aduolarunt. Muniebatur ergo hinc inde, diuersis in
 locis, ad plagam tamen potissimùm in qua obsidio, ciuitas:
 non Religiosorum tantum, sed & Ciuium, Studentium,
 Militumque communibus operis. Etenim paulò ante, dum
 adhuc Louanij Princeps Cardinalis, opperitur aduenturum
 hostem; eorundem Ciuium, Religiosorum, & Studenti-
 um manibus, excitatæ fuerant dimidiatæ lunæ, quas ap-
 pellant, nouem, methodum & formam earum demonstnan-
 tibus operum magistris, idque foris à porta Arschoana vs-
 que ad Heuriensem: intus verò tormentarij suggestus, pro-
 pè quatuordecim: quorum erat is maximus latissimusque,
 qui ad latus sinistrum portæ Heuriensis: vt si quando no-
 strorum castra, extra portam Bruxellensem disposita, ir-
 rumpere conatus fuisset hostis; posset inde commodius ar-
 ceri, & vehementiùs lædi. Porrò nunc, laborabat pars
 ad portam Mechliniensem, pars ad Bruxellensem, in eri-
 gendis prætenturis ad medium valli, foris in vrbe, fossa:
 pars denique ad extruendam loricam, extra clathros lig-
 neos portæ Mechliniensis. Militibus etiam sua erant opera
 peculiaria, in suffodiendis, obstruendis, muniendisque
 portis, & accumulandis aggeribus, etiam extra urbem,
 quibus arceretur hostis à propiore ad eam accessu. Præsi-
 dij enim quot diebus & noctibus, pars vna in vrbe: pars
 altera, extra, in munitiõibus & sepimentis. Extructa
 quoque bina tabernacula, ex fidis asseribus, in imo fossa-
 rum: vnum non procul à Specula, quam impensam perdi-
 am vulgò nominant: alterum inter Vincarum & Bruxel-
 lensem portas: in quibus collocati aliquot militum mus-
 quetariorum manipuli, qui receptum ad scandendum vr-
 bis vallum, intra fossas hostem, poterant de facili perime-

re, quaquauerfus ascendiffet. Aiunt hoc inuentum Rybaucourtij fuiſſe. His igitur munitionibus erigebantur omnium animi: ſperantium fore, vt iam non multos dies; ſed plures hebdomades, tolerare obſidionem poſſent. Sanè præſidiariorum ea vox erat, vt dicerent viginti propemodum hoſtiū millia caſura prius, quàm vrbe potiri poſſint; ſi vnquam potiantur. Neque hic ſermo iactantiæ fuit, ſi iuxta cum accliuitate vallorum vrbis; eę quæ factę ſunt intus & extus, licet tumultuariè, munitiones, & animi militum ciuiumque conferantur. Leuibis interea velitationibus exercebatur etiam cum hoſte miles, is potiſſimum qui ex Legione d'Aubremontia, obſeruabat portam Bruxelſenſem, non ſine hoſtium damno. Ciues, alijque in mœnibus, animoſè explodebant, ſicubi erat occaſio Galli iaciendi. In ceraſeto enim, quod vicinum erat portæ Vinearum, quantum licebat per frondium vmbraſ, notabantur denſa operarum capita: ſicuti & ex altera parte viæ montis Caluariz, è regione ceraſeti. Erant in Specula, tertio ipſius ſolio, duo tormenta, quæ campeſtria aut colubrina vocant, quibus in Statiua vſque Breſci, petebatur hoſtis, nec impunè: donec alterum horum quod maius, perpetuâ diſploſione, aut nimio infartu ruptum eſt. Aderat in mœnibus frequens Gubernator, tametſi pedibus nonnihil æger, à nitrata glande, quam primâ Siluæducenſi obſidione, in femore alibi excepit: quæ dum diurnitate temporis, & pondere ſuo, profundius ſemper in tibiã ſubſidit; incurabile propemodum vulnus fecit. Idem aſtitabant non ſegniter Tribuni, & agminum Ductores, cum ceteris Officiarijs. De cubili domeſtico, iam inde & deinceps totâ obſidione, vix vlla apud eos memoria: nulla proſuſ apud milites. Dormitorium illis idem, & cœnaculum

culum, quod statio. Tentoria ergo aut ex fascibus, aut arborum ramis. Quia per quatuordecim continuos dies, totus exercitus Regius, à sexta nimirum Iunij, vsque ad vigesimam eiusdem, iuxta Louanium castra sua habuerat, intra illud Princeps: quod omnibus tantisper suppeditauit annonam; coepit obsesà nunc vrbe, casei præsertim, cuius diebus singulis, viritim semilibra, distributio erat in Præsidiarios, nonnulla esse penuria. Huius enim cibi multus inter nostrates milites vsus. Vt penurię occurrerent, Deputati Academiae & Oppidi Magistratus conuenerunt. Et quia ferum aliarum victualium, erat magna satis in vrbe copia, placuit vt casei loco, pecunia numeraretur militibus: cereuisia, sicut hætenus, daretur in specie sua: impensæ verò, quæ omnes in vniuersum fierent, defumerentur pro rata parte, vt aiunt, ex communibus Academiae, Oppidique medijs, & corrogari ex impositionibus quibusdam solent. Non erit abs re Deputatos Academicos, nominibus suis adscribere. Nam præterquam quod indies ferè, cum Urbano Magistratu conuenirent; nunquam sanè contigit, vel in minimo contendere, aut esse discordes. Erant igitur, Eximij Domini Cornelius Ianssenius & Henricus Paridanus, Sacrę Theologiae Doctores & Professores: Clarissimi Domini, Michael vandenPerre, & Valerius Andreas, Iuris Vtriusque Doctores & Professores: Clarissimus Dominus, Michael Ophemius, Medicinae Doctor & Professor primarius: Consultissimus D. Fredericus Hauens I. V. Licentiatus: Reuerendus D. Laurentius Zoënius, S. Theologiae Licentiatus & D. Laurentius Giffene Philosophiæ primarius Professor: omnes & singuli, à Facultatibus suis peculiariter designati. Atque hi, cum Consulibus, ceteroque Magistratu, in medium consulebant, Aderant præ ceteris frequentius,

Viri

Viri Nobiles, Ægidius vander Vorst, Toparcha Loonbecanus: Ioannes & Carolus van Pulle: Ioannes Borgraefuius: Ioannes Syluius, Eques: Henricus vander Heyden: Carolus Hulet: ingenio iudicioque omnes, ad danda consilia prompti & habiles: alij in operibus excitandis, & procurandis ad hæcrebus necessarijs, non diebus tantum, sed noctibus occupabantur. Hos inter sedulus admodum & infractus, Vir Nobilis, Antonius Fredericus à Dilbeek, Toparcha Attenhouius, præteritis annis non inexercitatus miles.

xxvi. Iunij.

Vidimus hæc die domorum aliquot, & horreorum è manibus incendium. Quantum oculi videndo iudicare poterant, erant in pagis Roselaer & Wesemael. Quia enim Arschotum impotens resistere, se dederat; patebat illucvsque hosti excursio; præsertim cum iam tum Diesthemium, domus Nassouicæ peculium, in potestatem quoque concessisset. Fama erat prædium Grobendocquium, in Wesemael ardere. Iam verò Princeps Auriacus cum Batavis suis, quibus muniendi vallandique, rumore publico datur honor; aggeres suos à finibus Roosfelani montis, vbi definit, ad dextram plateæ stratæ, Diliam, versus, sedulo promouebat: adeò vt obliquo inde itinere, ad Diliam vsque, contra domum Candidam, quam vocant, eos produceret. E regione quoque Toparchiæ Attenhouiæ, ad Diliæ ibidem pontem ligneum, validum fortalitium exstruxit. Imò vltra Diliam, versus eandem Toparchiam, sustulit è terra, in rectum procurrentes aggeres, eosque multis in locis, sub exiguo interstitio duplices. Animaduerti-

mus post solutam obsidionem, aggerum fossas, qui à platea lapidea, ubi diximus, ad Diliam porrigebantur; septemtrionem Oppidi spectasse: veluti si contra irruptionem, quæ à parte Mechliniensi panderetur fortassè, sibi voluisset hostis prospicere: sicut & ij qui post montem Roosselanum, ad sinistram erant: qui verò in simitate, finium vtrimque, eiusdem montis, cum fortalitijs ibidem, vallum suum habuisse Louanio obuersum, contra vim etiam inde surrecturam. Et quidem hi erant aggeres, quos à fronte sibi Bataui construxerant, decem circiter à fossa pedes alti, licet multis adhuc in locis imperfecti: quando Galli, solis à tergo contenti, nihilum de fronte cogitarant: nisi quod inchoatum à nostris castellum, ad dextram viæ Banckenfis, puta è regione Cœnobij; visi fuerint ad accedendum propius, & fundanda tórmenta, quadamtenus promouisse: iam verò ante Caluariæ montem, loci naturâ & profundis admodum vijs, viderentur sibi affatim muniti. Ceterum longitudo aggeris, quem ante se iusserat Auriacus attolli, in spatium itineris duarum horarum, si ultra Diliam transeas, facilè procurrit: plerisque locis, præsertim in finibus vtrimque montis Roosselij, difficilis fodi, propter ferruginei lapidis venas, quas paulò infra terram habet. Tam insanis fossionibus, nihil aliud sibi propositum habuisse, quàm in omnem auxiliorum nostrorum euentum, capto iam Louanio, sedem hic belli facere, tantum non euident est: quando vallorum frontes, non tam contra obsessam urbem, quàm ab urbe, contra plagam Mechliniensem, quesitis ferè vbique viarum commoditatibus, obtendebantur. Diximus supra Cardinalem de obsidione Oppidi, redditum fuisse certiore à Gubernatore. Hodie responsum ab illo appulit, quo hortabatur obsessos magno

animo esse: præter auxilia Germanica, quæ tum fortè Na-
 murcum appulisse poterant, imò & absque eis, nihil se o-
 missurum operæ, ad subueniendum obsessis. Sicut ergo con-
 stabat, Serenissimum Principem, maximo conseruandi
 Belgij desiderio teneri, inprimis autem Oppidi Louanien-
 sis, vbique terrarum ab Academicis studijs, tantoperè fa-
 migerati, ita hæ litteræ, deiectos fortè animos plurium e-
 rexerunt: publicè enim in Magistratu sunt lectæ. Campi-
 niensis quidam, cui bona nonnulla circa Louanium erant,
 quoddam Federatorum Ordinum Tributarius esset, venerat in
 castra, exoratum verisimiliter Auriacum, vt ea sine damno
 esse iuberet. Is ab eo subornatus, & modum edoctus quo
 terreret Ciues, & ad deditiõnem faciendam induceret, ad
 Urbem accessit. Cum ingredi in eam sine Gubernatoris per-
 missione non posset: & intellexisset circa portam Mechli-
 niensem, agendo & præcipiendo occupari; foras ad se euo-
 cavit. Egressus Gubernator, audijt hominem: qui hostium vi-
 res, & numerum mirificè extollere, & repetito Thenensium
 exemplo, terrorem incutere. Si dedere tamen, quanto-
 cyùs Urbem Grobendonquius velit, concessum iri, tum
 ei, tum Præsidarijs & Ciuibus, fauorabiles admodum,
 deditiõnis Articulos: imò quales nulli antehac Oppido da-
 tæ fuerant. Miratus temeritatè hominis Gubernator, quod
 talia Regi subditus auderet, in urbem introduci iussit: &
 ne in vulgus effutiret, clausum in cædibus suis detineri. Al-
 teri cuidam, qui pridie, cum similibus strophis ab Auriaco
 missus fuerat, idem fecit: & Auriaco significauit, abstineret
 deinceps ab indebito tali astu: non esse hanc sollicitanda-
 rum urbium formam: si Louanium cuperet; bellicâ virtute
 licitaretur. Eâdem die, repetendorum captiuorum gratia,
 successit in urbem, Tubicen. Cumque eorum, quos repe-
 tebat

tebat catalogum, Gubernatori exhibuisset: interrogatus, ut sit, quid rerum in castris ageretur: utrumne sciret Auriacus, cuiam esset conseruandę vrbis cura commissa? respondit, satis superque de Grobendoncuio constare: cuius licet Auriacum pertinacia non lateret; qui tamen aliàs cedere eum Ciuitate Siluæducesi compulisset, faciliè quoque Louanio pulsurum: ideoq; consulere vt se dedere non differat. Hęc cum sine legitimo mandato, satis audacter Tubicen prolocutus esset, qui ad solos captiuos redimendos venerat: iussus est quàm primùm vrbe pedem efferre: & nisi mallet agi in crucem; non vltra rediens suapte auctoritate, tam importuna verba iactare. Quoniam de conditionibus aliquid dixi: fassus est Gallorum quidam, non infimus, dum ex vulnere Bruxellæ, quò post solutam obsidionem erat abuectus, decumbebat: ita Auriacum inter, & militię totius Primores conuenisse, vt si Louanienses intra primum triduum se dediderint; concedantur eis, quas optauerint, scripserintque leges: sin autem, fiant ludibrium, præda ac furor, non secus ac Thenenses. Hodie post meridiem, in hortum Augustinianum, ad scapum cuiusdam fruticis, copiosissimum examen Apum se applicuit, & deinde congestum est in alueare: non vano vt augurabamur omine, fugatas has volucres è prædonum castris, in tutum se quietis, operumque domicilium dedisse. Scribit Plinius, dirum L. 11. id ostentum, aruspicius semper existimari: sed perpetuam cap. 17 hanc coniecturam non esse, docet ex castris Drusi Imperatoris, in quibus cum sedissent, prosperrimè apud Arbalonem pugnatum est. Idem nobis euenit. Placuit hęc nocte, virtutis hostiũ facere periculum Irruptum est à Walonibus è Bruxellensi porta, in inimicas fossas, & velitari pugna aliquamdiu certatum ad Lunam, in qua ex aduersa parte cęsi, circiter triginta, à nostra septem.

XXVII. Iunij.

Videndum se hæc tunc tantum modo, præbuerat hostis, sed hodierna die, coepit etiam audiri. Operantibus adhuc ergo cunctis, in moenibus, manè inter sextam & septimam, cum sudo cælo, quale toto obsidionis tempore fuit, vires suas colligere sol inciperet, voluit non moenia tantummodo, sed & Urbem salutare. Grauioribus tormentis id factum. Collocauerat illa, loco admodum opportuno, ad læuam facelli Caluarie montis, ante Ædiculam sepulchri Dominici. Plaga hæc, loci natura montibus attollitur, è quibus per diametrum, tota fere despicitur vrbs: vt non domorum fastigia dumtaxat, in foro; sed & ipse frontes, perspicue satis appareant. Erat præterea ab altera montis parte, id est, ad dicti facelli dextram, paulò extra cerasetum, composita tormentorum series. Horum primitiæ, Oppido in vniuersum oblatæ sunt: & quantum colligi poterat à bomborum vnius ex altero, perpetua sequela, erant sub initium tormenta quatuor, tum quinque tum sex. Globi quos euomebant, partim ferrei, partim metallici: fusi verisimiliter ex ære campano, quod è templorum hic & alibi turribus abstulerant, ponderabant, octo, decem, duodecim, sedecim, viginti, viginti quinque, triginta sex, & quadraginta sex libras. Et hoc quidem, pondus omnium vbique, ni fallor, fuit: quamquam rarius quadraginta senarii comparerent. Ex his globis, plurimi allati, quot diebus ad Curiam; singulis solidis, singuli redempti: aut à priuatis hominibus, ad perpetuam memoriam comparati sunt. Et licet subinde proiectus fieret in Oppidum; Vinearum tamen ex candido, du-
roque

roque lapide elegans porta: tum Excubitorum binæ, vna hinc, altera inde, quales in mœnibus Louanij crebrę turres: ipse denique latericius murus, vehementiùs quassabantur: sed quod huic interim damnum inferri poterat, pro globi magnitudine foramen erat: neque vlla maior hoc loco iactura. Tota hac die ac nocte, non aded cessatum est à tonitru; vt supra centies & quinquagesies, fuerit explosum. Vasta & ampla Ciuitas, nullum memorabile damnum nec hac, nec diebus alijs, à tormentis sustinuit: quamquam in vniuersum, numerati sint ictus, libratis vt supra dixi globis, mille trecenti triginta duo: vt alij: mille quingenti triginta quinq;. Quia tamen in aliquot Portas potissimum, & turres ac mœnia, vt diximus, & deinceps dicemus, maxima parte displosum est; nihil mirum si non admodum in vrbe nocitum. Vna interim hodie in vrbe femina, dum vaccam alibi aut agit, aut mulget, tormento tacta periit. Ferunt hanc eadem quod feminae esset, pessimi ominis & auspicij loco, Gallos habuisse. Quia fossis suis insēpultus prope modum hostis, videri facile non poterat: quas multiplici viarum tramite, & infinitis eundo redeundoque spiris ac cuniculis, hic loci potissimum eiecerat: longiusque ab vrbe quam ferre tormenti vis posset, tenui quatuor aut quinque hominum agmine discurrebat; tum his tum alijs adhuc rationibus, consultò abstinebant nostri, ex lege quam eis Gubernator dixerat, à frequenti maiorum tormentorum fulmine. Mediocribus ergo tormentis siue bombardis, feliciùs vsi Milites, Ciues, Studentes. Notatum verò, hoc armorum genus apud hostem, non rotunda, vt assolet, glan-de sed in quadrum oblongâ, & in angulis veluti ramosâ, onerari. Hanc formam imitati nostrum plerique, plurimos in ceraseto, sed & alibi Gallos ac Batauos confecerunt.

Hodie & deinceps ab octava vespertina ad sextam vsque matutinam, totius Oppidi publica horologia frangebantur: vt indistincta & confusa nox, non oculis tantum, sed & auribus caliginem offunderet. Sollicitè quoque curatum, per circumeuntes vicatim noctu vigiles, ne quod per emissarios aliquando, sicuti paullo ante fuerat, suscitaretur alibi incendium. Atque in hunc finem, præconis voce publicatum, vt quisque præ foribus suis, grande vas, aqua plenum exponeret: qua extingui quantocyus fortuitus, aut alius omnis ignis posset. Iussi quoque Ciues, ex ædium suarum fenestris, compitatum, exporrigere lucernas, ad illustrandam, tametsi breuiculam noctem. Prohibitum etiam ne sexus sequior, post solis occasum in plateis moraretur: ne quid animorum fortalsè eiulatu suo, detraheret armatis Ciuibus, dum pro conflictus occasione data, periculo se comittunt. Quare vt & tanto tranquillius, nocturnæ quieti indulgeret: arbitror esse cessatum à campanarum sonitu, quibus armorum dari indicina solet. Vt tamen hic sexus, in tanto omnium negotio non esset otiosus; Præsidarijs, quibus à continua scloporum displosione, pectus offendi poterat, puluillos è molli lana, aut gossypio, fultos, eoque loci applicandos, consuebat. Accessiones suas contra, portam Vinearum, iam inde ab Ædicula sepulchri Dominici, magna celeritate promouebat hostis. Hoc vbi animaduertit Prestonus; sub occasum fere solis hodierna die, annuente Gubernatore, mandat suis, in talpas illos excursionem facere. Duobus igitur ordinum ductoribus, quos Sergeants, appellant, Guilelmo Kelli, & Guilelmo Geraldino, adiuncti ad conficiendam hanc nonaginta milites. Sicuti magna ferocia insilierunt Hiberni in hostem; ita fortiter eundem ceciderunt. Neque prius redierunt in

recep-

receptum suum, quam notasset Prestonus, qui eminus illos animabat, accedere suppetias ad hostem. A Tribuno igitur vocati redierunt: duobus solum è suis desideratis. Quamquam autem cæsorum hac vice hostium, certus sciri numerus non possit, tamen supra centum fuisse, publico rumore intelleximus. Spectantibus ciuibus, & infinita hominum multitudine, è moenibus, commissum est hoc prælium: quibus adeo placuit Hibernorum virtus; vt magnis eam vbique laudibus eueherent. Allatum est quam primum, à certamine retractis, nouum Cereuisiæ demensum, auctumque nummarium diei stipendium. Ceterum eadem nocte, egressus est, ad eandem plagam, cum centum militibus Prestonus, ad quorum stationes in moenibus, totidem Studentes substituerat: atque vt appropinquanti, & appropinquaturo magis hosti, obstaculum obijceret, aggerem ibidem magna celeritate erexit: quem deinde quoad durauit obsidio, strenuè Hiberni defenderunt. Hanc etenim spartam filio suo Iacobo, ingentis animi Adolefcenti, octodecim circiter annorum, sed vnus cohortis Ductori, Parens Prestonus designauit. Quoniam autem sumus in Hibernis: memoratu indignum non est, quod sub initium obsidionis, idem Prestonus fecit. Vocatis enim ad se omnium Cohortiũ Ductoribus, iussit quemlibet eorum sigillatim inquirere à suis, vtrum ex imbellia, hostem, vulnera, aut mortem timerent? si quos fortasse reperirent; cum negaret eiusmodi retinere se velle, accederent equidem liberè, palàm aut clam, daturum se libentissimè talibus missionem. Tantum verò abfuit, vt licet tyrones essent, neque ante, vnquam bellum experti, Hibernorum aliquis id faceret, vt ex quo audiuerant, impium hostem commiscuisse equorum pabulo, Thenis, Sa-

gram

eram Eucharistiam, furore propemodum accenderentur: & futuros se martyres putarent; Si Regi ac Patriæ fuso iam sanguine litare possent. Inter velitandum Hiberni, dum strenuè rem gerunt, identidem insonabant, Marf, Marf: quod linguâ eorum significat, occide, occide: aut vtebantur voce vulgari, quâ solent laborantibus animi aduocari, vel accendi. Iam verò ab altera parte, puta sinistrâ portæ Vinearum, contra cerasetum ibidem, à Walonibus d' Aubremontijs, obiectus est similis Hibernorum, aduersus hostiles accessiones agger: & magnis perpetuisque animis, ac viribus, ad finem obsidionis vsque, propugnatus.

XXVIII. Iunij.

Egressis portam Mechliniensem, mediâ eam inter, & pedem montis Roosfelani viâ, accessiones suas inchoat hostis. Vtebatur ad has beneficio, quorundam humilium viarum, & rusticanorum aggerum, ad tutandos agros à pecorum incurfu: à dextris præterea Plantario: à sinistris etiam nonnihil, Laterariâ. Ad Plantarij frontem, tormentorum suggestum excitauit: ad latus Laterariæ, castellum, ex eis quæ calcaria nuncupant: inde verò ductorijs fossis, nostras ferè, non procul à Porta, prætenturas radens, procurrebat contra Speculam (quæ impensa perdita) duplicibus alibi: hinc rursus obliquo itinere, ad montem Caluariæ. Erant hæc Batauorum opera, qui Gallis, aliquot diebus tardiùs, aut ad vrbe[m] appulisse, aut fodere cœpisse videbantur. Sed nec interim cessatur, à continua verberatione portæ Vinearum, mœniumque ibidem. Neque enim alibi locorum, quàm diximus hætenùs; tormentorum

rum fuorum aciem disposuerat. Cardinalis iterum per literas, obsessos animat, & includit suis, quas à Comite de Fuenclara, acceperat, obuiam ante destinato Germanicis copijs, datas supra Fanum Viti, vigesimâ tertiâ Iunij. Gliscit interea rumor, de suppetijs à Cardinali ad nos missis, cum ijs rebus, à quibus videbamur non abundè instructi. Quia iam federat omnium animis pertinaciter hosti resistere: ad augendum præsidium, & supplendum quod (tamen si paucum) defecisse poterat; iussus est conscribi intra Urbem miles ex Agricolis, alijsque, quotquot dare nomina sua, & merere vellent. Etenim intra eam, tot ferè Agricolæ, quot Ciues, cum iumentis suis, & omni suppellectile. Istud verò hominum genus, vbi videt de summa rei certari, atque vnam bello salutem esse, sperare nullam, ferocissimum est aduersus hostem: & quia peritiam armorum longo vsu, non contemnendam habet; stare non pro capite tantum suo, sed & pro Republica potest. Testantur id satis, tot Gallorum vbique, aut Batauorum, è segete aut siluis, captiuitas & cædes: & deinde furor, quo populabundum in Cœnobio Vallis-Ducis, hostem, partim fugarunt: partim nitratis glandibus, densissimè explosis, confecerunt. Ceterùm siue nomina vrbanae militiæ, siue non dedissent, iuebantur omnes, sub pœna, ad Academicas scholas, (quæ Hallæ vulgo) comparere, ad arma sumenda, & defendendam Urbem. Ciuibus etiam rigidè edictum, vicatim esse in armis: & qui, cuicumque viciniæ aut cohorti, ad excubandum locus obtigisset, illuc porrò sine mora pergerent. Per ordinem ergo, nunc in Oppidi portis, vnà cum Præsidarijs excubabant, nunc alibi designatis diuersorijs. Studentes & Accensi, cum Religiosis ijs, qui accepta semel arma non deposuerant, sub Imperio per-

illustris & Amplissimi Herois, Domini Ioannis Francisci
 de ROBLES, ex Comitibus d'Anapes, Præpositi Lo-
 uanienſis, & Academię Cancellarij, ac Priuilegiorum
 Conſeruatoris, tabernaculum ſuum in Arce habebant, &
 agebant vigiltas. Aderant ibidem aut alibi, Facultatum
 omnium Doctores, armis quæ quiſque tractare poterat, in-
 ſtructi. Sanè non ignarus rei militaris, Præpoſitus Sancti
 Petri, quem dixi, primo obſidionis die pronuntiabat in
 mœnibus, aut moriendum aut vincendum: & ipſe maiora
 tormenta collimans, dirigenſque, vt vidimus, in hoſtem;
 oſtendit, non eſſe ſolummodo pulchrum pace, ſed & bel-
 lo florere. Sub illius imperio dirigebant Academicum ag-
 men, Clariffimus Vir Carolus Vignacourt, Iuris Vtriuſ-
 que Doctör, & Hermannus Heddinga: præteritis annis
 alacres bello manus. Conſules in Curia cum Magiſtratu re-
 liquo, die noctuque audiebant quid fieret, & disponebant
 agenda. Prætor aſſiduus ferè in mœnibus, præſentique pe-
 riculo: vnde deinde poſt, læſam reulit tibiam, à lapidi-
 bus, tormentorum hoſtilium vi, à Specula decuſſis. Me-
 lius, hodiernà die, cœperunt inter Ciues & Studentes,
 omnia peragi, quàm ante. Initia rerum magnarum, rudia
 ſemper & indigeſta ſunt. Quia tam varius hætenùs fuerat,
 de Germanicarum aduentu copiarum rumor: quæ tametiſi
 non ignorarentur in Belgium deſcendere, tamen cum to-
 ties ibi eſſe, alibi ruruſum dicerentur; videbatur multis ea
 ſpes anceps eſſe & titubare. Cumque præteritis diebus,
 nuntios inquirendi cauſà, Magiſtratus dimiſſet; redijt ho-
 die ſaltem vnus: qui vidiffe ſe Equitatus Germanici partem,
 vno alteroue à Namurco milliari (cis an vltra non memi-
 ni) affirmabat. Ei igitur perſolutum, itineris ſui nuntijque
 pretium. Nouus iterum Tubicen appulit, cum dedendæ
 Urbis

Urbis precibus. Exponebat in primis, propius semper &
 propius, Auriacum per suos accedere ad Urbis fossam: a-
 deoque maius semper & maius, obsessis periculum immi-
 nere. Obsecrare se ideo Governatorem, ut æquam men-
 tem, & sana consilia, habeat ac sequatur. Compatiatur po-
 pulari multitudini, dum tempus adhuc ferat, eamque præ-
 sentissimo periculo, velit eximere. Substitit ad has preces
 & minas Gubernator, sicuti deinde, quoties adhuc suppli-
 catio dedendę Urbis facta est. Neque enim ullus vnquam
 in Urbem Tubicen, repetendorum captiuorum gratiã, suc-
 cessit; quin simul etiam eadem Auriaci postulata exponeret.
 Subridente igitur ore Gubernator, respondit: mirari se
 plurimum, ecquid tam immanibus copijs viribusque, Prin-
 ceptis Auriacum Louanium impetere velit, Urbem debilem,
 nec arte, neque naturã munitam, imò non tam muris,
 quàm Musis vallatam: sterile hic esse glorię seminarium,
 pro Auriaco, tot alibi, tantisque victorijs inclyto: nihil
 ominùs tamen, qualis qualis Vrbs Louanium sit, ne hęc
 vice quidem illi destinare. Addebat præterea, mirari se
 rursus, qui fieri possit, ut Auriacus Grobendoncquium,
 interpellatum veniat: virum id ætatis & tiliarum, quas
 habeat grauitè affectas: sed qui interim istius planè animi
 sit, ut Regiæ Maiestati incolume Louanium conseruet.
 His responsis, domo, & Vrbe Tubicen cessit. Globus qui-
 dam tormentarius, sed è minoribus, hodie post meridiem,
 per forum directus, infigitur in medio nouarum Ædium,
 supra staturam Sancti Georgij ad læuam: ibique etiam num
 suspensus hæret. Nocturnam iterum excursionem miles
 noster fecit, ad Mechliniensem portam. Ad eam rursus
 designati, à Tribuno suo Hiberni: sed quibus in auxilium,
 è Legione Emdana, Capitaneus Smidt, Vir bello acer,
 ipsius

ipſius Tribuni Preſtoni teſtimonio , cum cohorte ſua, ad-
 uenit . Dimicatum eſt acriter , & veluti præliatum ſerrâ :
 quando in munitiones hoſtium , à noſtris : & peruentum
 ab hoſtibus (parùm enim ambæ diſtabant) in noſtras . Hoc
 cum poſteriùs eueniſſet , magnâ rursus virtute pulſi ceſſe-
 runt . Cæſi aduerſariorum quàm plurimi : è noſtris non-
 nulli . Illos inter magnus vnus , gente Gallus : quem tra-
 iectum nitratâ glande , cum ſollicitè hoſtis auferre nitere-
 tur , & iam defuncti cadauer retraheret per pedes , validi-
 ores noſtri per brachia ablatum , in dimidiatam ante portam
 Mechlinienſem Lunam , detulerunt . Spoliatus ibidem ve-
 ſtibus & nummis , orto iam die , per Tubicinè eſt redemptus ,
 pretio centenorum aliquot florenorum . Arbitror hoc fu-
 iſſe cadauer , Marchionis de la Vareſne , Tribuni Legionis
 Campanicę . Nam cum hic Marchio , in Eccleſia Heurien-
 ſi Cęleſtinorum , pulpitem inter & Chõri introitum , ter-
 ræ ſitillatus : conſtet autem hęc obſidione periſſe ; teſtatur
 Cœnobiarcha ibidem , cæſum in foſſis , pridie Sanctorum
 Apoſtolorum , ſed demùm altero die ſepultum . Narrant
 quidam , Marchionem hunc dum viueret , Bruxellæ cum
 profugo ad nos , Regis Galliarum vnico fratre , Duce Au-
 relianenſi Gaſtone vixiſſe : & ex Regis Hiſpaniarum in Bel-
 gis ærario , habuiſſe indies trecentos florenos . At verò
 cum huius beneficij loco , eiufdem modo Regis , Prouincias
 & Vrbes , oppugnatum venerit ; quis non dixerit id eſſe
 reuera beneficium redhoſtire ? Cecidit etiam in hoc conſli-
 ctu , vt opinor , cuius in pariete , ſacelli Caluarix montis ,
 ad dextram ſummi altaris , carbone notatum Epitaphium ,
 legitur in hęc verba : Cy deuant giſt Viſtor d' Aſſy Eſcuyer ,
 en ſon viuant Seigneur de Pouilly , & la Neufville , lequel
 mourut le 28. Iuin 1635 . Priez Dieu pour ſon ame .

XXIX. Iunij.

Festum Sanctorum Apostolorum Petri Patroni Ciuitatis, & Pauli : quos incessantibus precibus, totâ obsidione (præfiscinè hoc dixerimus) Ciues & Incolæ adierunt. Sicut ergo die hesternâ, vexillum è Specula nostri porre-
 xerant, magnanimitatis vtiq̃, & duraturę fidei, erga Regem & Cardinalem indicium ; ita perfectis operibus suis, ad portam Mechliniensem, signum idem hostis infixit. Etiam ante Plantarium, quod dixi ; nouiter tormenta composuit. Erant grandia, oppidòque tonantia. Animaduertenter foris, iuxta cum Urbis muro, portam Mechliniensem ad læuam egredientibus, vallum minus altum esse, & inclinare. Cumque de illius superanda altitudine, alibi forte desperaret ; cœpit hic loci, velle hiatum & aperturam facere. Nam dum hætenùs in fodiendis accessionibus, insanum in modum Galli laborauissent : mirabatur sæpius interrogando Castilionius : ecquid nondum ad Urbis fossam peruenissent ? Dispositis igitur tormentis, à matutino die terribiliter, ac ferè centies, portam, mœnia, & Ciuitatem verberauit. Nihil hæc tempestate trepidatum est in Vrbe : sed præsidiarijs tamen ea vis continua, choleram mouebat. Itaque ascendit in Speculam Tribunus Prestonus : cumque quid ageret hostis, in vicinis è regione fossis, oculo curioso perlustrasset, Gubernatorem adit, & quàm commodè cædi possit, adductis rationibus, docet. Non grauatè, pollicenti ex tunc præclaram victoriam Prestono, Gubernator assensit : & cum ad eos, quos è Legionè sua Prestonus delegerat ; ex alijs item plures, Gubernator adiscisset : ipse cum reliquis Tribunis, & è Magistratu

nonnullis, in Speculam venit, signum inde inuadendi daturus. Erat tum tertia pomeridiana. Delectorum egressus fit, è portis Mechliniensi, Vinearum & Bruxellenfi: conuentus circa Speculam. Præcipit hic suis, sub poenâ capitis Prestonus, ne quis audeat hostium spolia contingere, priusquam vniuersim prostrati omnes, & cæsi essent. Disponit deinde, & veluti in tres acies partitus est. Prima erat sclopetariorû: altera hastatorum: postrema denique ligones gestantium. Cum iam dimissis chartulis; signum inuadendi, è Specula Gubernator dedisset, deposito thorace Prestonus, nudatoq; tantum non pectore, ad animandos milites, stricto ense, leonis instar, insiliit in hostem. Neq; signum tantummodo cédendi, sed exemplum dedit. Ductorem secutus miles, qui quidem in prima, quam dixi, acie erat; aut occidit obuios aut vulnerauit: qui in secunda, hastis, quoscumq; poterat transfodit: denique qui in tertia, ligonibus aggeres subuertendo, vnâ cum mortuis, viuos sepeliuit. Wesemaliæ Legionis numeros, ad hunc conflictum delectos, ducebat signifer de Berti. Irruit igitur & ipse, in præfens hostium sepimentum: dumq; cruentam passim stragem edit; venabulo quod gerebat, visus est, strenui cuiusdam Ductoris frontem validè ferire: & statario ac singulari certamine, vitæ ipsius reliquias prosequi. Dum interim hoc exemplum secutus vbique miles, paria magnis animis facit. Tanti est, nō solum militibus Ducem præire; sed & Tribunitio sermone, quod ante prælium Wesemalius fecerat, armari. Non minori virtute, delectorum, ex alijs Legionibus Præfecti, quorum nomina scire nondum potui, cum ijs quos eduxerant, huc illuc lapsabundum & in compositum hostem cæciderunt. Durauit hæc pugna mediâ circiter horâ, spectante è mœnibus toto armorum Oppido: iamque cédendo, euaserant nostri, ad
ipsum

ipsum tormentorum locum, ante ædiculam sepulchri Do-
 minici, & fortè impactis clavis inutilia ea reddidissent; nisi
 ab accedente hostili Equitatu (sed quem bis retrocedere co-
 egerunt, auxilio secundantium sibi, è mœnibus suorum:
 Ciuium item & Studentium, sicut in omni excursione fa-
 ctum est: tam continuatâ displexione, vt ardere mœnia vi-
 derentur) nisi inquam tandem prohibiti fuissent. Vt tam
 excelsis animis non minus idonea clades esset; Cæsi ex ho-
 stibus, aut lethaliter vulnerati, inter trecentos & quadrin-
 gentos: etenim vix è toto hostium numero, sex è fossis in-
 columes euaserunt. Fassi quidem sunt, captiui postmodum
 in Urbem introducti, cecidisse tantummodo ducentos vi-
 ginti: sed ea confessio, iuxta cum testibus suspecta.
 Spectantibus omnibus notatum fuit, vnum vnicum è no-
 stris, ligone suo duodecim omnino interfecisse: & quem
 supra nominavi Ductor Geraldinus, Geso, siue breui quam
 vibrabat hastâ, ipsius Tribuni testimonio, non pauciores tri-
 ginta transfodit. Prestoni puer, dum Capitaneo, aut simili
 cuidam, vitam ademisset; testem mortis cæsi gladium, &
 iuxta cum eo alterum, retulit in Urbem. Inter trucidatos om-
 nes, erant Officiarij quàm plures, vt fama fert, Galli. Ad no-
 uem enim eiusmodi, hodiernâ die, extra chorum Ecclesiæ
 Heuriensis sepulti: inter hos Toparcha & Baro de Poissac,
 signifer turmæ Marchionis de la Trouffe: quâuis de hoc,
 planè non constet, an cæsus an læsus: an verò ex morbo præ-
 liari obierit. Baro de la Tiraille, Tribunus: Baro de la Berig-
 nyes, Protribunus &c. Iacet quoq; vnus in facello Caluarie,
 ad læuam summi altaris, cui conscriptum à congeronibus
 in pariete, atramento carbonis, hoc Epitaphiũ: Cy gist An-
 toine Marin, Noble de nation en son viuant, & Chrestien,
 decedé le 29. Iuin, 1635. Priez Dieu pour son ame. Plures
 alibi in Pagorum Ecclesijs sepulti, præsertim qui bonè notè.

Præ-

sens in hoc conflictu, Tribunus Morgan, Gubernator Bergizomij, tribus, vt aiunt, glandibus percussus est, sed quarum nulla penetrauit: more fortè pessimo, sed nimis vsitato; quo arte diabolicâ, se quibusdam armorum generibus, imperuios, adeoque inuulnerabiles faciunt, non omnibus. Scio (etiam ante Louanium) qui nec sclopo, nec gladio lædi poterat, clauato baculo, canis instar esse matatum. Affirmant interea nonnulli, ictu ensis aut haste Morganum identidem læsum: imò ex vulnere, aut verberare paulò post mortuum. Quidquid sit, siue mortem, siue vitam adhuc obeat; cum intellexisset Auriacus viuum è fossis erepsisse, visus est non mediocriter lætari: huius enim Morgani superstitem vitam, pluris duabus Legionibus, estimasse Auriacum tradunt: tanta illi viro militaris vbiq; gloria & industria est. Aiunt, hostem, cum parum aut nihil hostile, eo die timuisset, subitò, & ex improviso tantum non obrutum. Sed hoc est militiæ vitium, reperiri imparatum. Neque festiuitas Apostolorum, quam domi celebrabamus, neque continua suorum displotio, mœniumque verberatio; securum eum reddere debuisset. Reuerſi in Urbem nostri, quibus album linteum aut charta in pileo fu erat, vt se inuicem internossent: opulenta admodum spolia, balnearum, penularum & vestium aliarum: nummorum auri & argenti, armorum &c. retulerunt. Adhæc tres Officiariorum lituos: Horum vnus, in lamina argentea; Domini sui insigne habebat, Rosam, cum Herminis circum eam. Aiunt insigne Scoticum esse. Multi è nostris, ne quidem hâc vice desiderati. Inter hos tamen, locum-tenens, v tappellant, vnus, ex Legionem Emdana, vir fortis & strenuus. Sed quia tot ex hostibus, vt dixi, petierunt horarum aliquot, ad sepelendos suos, inducias.

Cum

Cum essent concessę: quibus locis non admodum ab inuicem, & vix octo passibus miles noster, ab hoste distabat; exprobrabat alter alteri penuriam. In Vrbe tamen, nec apud Præsidarios vllam fuisse, certum est. Capti quoque hodie nonnulli, & in Urbem introducti, sed in quorum vultibus, videri fames & sitis poterat. Ostendebant, quod alebantur, panis frustum, ex farina malè molita, peius adhuc cocti. Nimirum insanix & immanitatis suæ, quam Thenis exercuerant, luebant iam tum dignissimas pœnas: vbi, cum septingentis circiter ædibus, dum sexaginta millia modiorum Thenensium Tritici & Siliginis, igne deleuissent; egestatem sibi, & penuriam ineluctabilem, Deo sic volente, procuratum iuerunt. Nam dum ibidem proprio sceleri, & insolentiæ, hostis incumbit, famulatus est Cardinali: qui Thenensibus ante præceperat, grana in vniuersum omnia abijcere in profluentem, si contingeret Oppidum in periculum deditiois adduci, pollicitus hoc se damnum vnicuique compensaturum. Summa vtriusque armorum hac nocte quies.

x x x. Iunij.

Post hanc quietem, primo mane, lambente nondum sole nocturnum rorem, mœnia potissimum quaterere hostis incepit. Dixi, egredientibus portam Mechliniensem, ad læuam, visa ei fuisse, ad implendum fortasse, & superandum magis opportuna. Opportunitas illa, forte continet in longitudine, triginta passus. In hanc igitur toto die, tribus ad minus tormentis, rabiem suam exercuit. Frequenti impete laceratus est murus, sed non aded, vt

E totus

totus concideret. Quando vero iam tantum cecideramus
 hostium, vt clades supra clementiam esset; aiunt dixisse
 Gubernatorem, eouſque nostra nunc virtute deuentum,
 vt tamenſi vellet; donec superaret è Præſidarijs aut Ciui-
 bus vnus, pacifci ſe non poſſe. Plures quidem ſe obſidio-
 nes, vidiffe & ſuſtinuiſſe; ſed maiores numquam in inua-
 dendis hoſtibus, & repellendis, animos expertū. Litteras
 hodie à Principe Cardinali recipit, quarum materiã, nega-
 bat in publicum à ſe ſparſum iri: viſurū, auditorūq; vnum-
 quemq; ſub noctem, quid terum arcanarum continuiſſent.
 Porro intus in Vrbe, ante portam Mechlinienſem, valida,
 & ad hæſtæ decempedalis longitudinem ſpiſſa, erigitur ex
 ceſpite Loricæ, inter duas vias, hinc deſcendentem è mœ-
 nibus vnã, inde aſcendentem ad illa, alteram. Poſt Lo-
 ricam hanc, editiori hortorum & finium Arcis plaga, præ-
 paratur locus diſponendis tormentis. Quod ſi igitur per eū
 patorem & hiatum, quem feciſſet hoſtis, irrumpere ali-
 quando tentaffet, habuiſſet equidem ſibi ex aduerſo in
 fronte tormenta: & cum ingreſſus, difficulter ad dextrum
 latus, procurrare potuiſſet (erat enim eã parte exitus ob-
 ſeptus) præceps vtique inter Portam & Loricam, quam
 dixi, etiam millenarius in terram collabi debuiffet. Ne-
 que enim hic vllus deſcenſus; ſed veteris & ſatis excel-
 ſi, tantummodo muri maceria, aut ſcenæ, excubitorum,
 accliuæ tectum. Dum autem ad hanc plagam, partim con-
 ductis operis, partim ſpontaneis Religioſorum omnium,
 laboratur hodie: duo, ſed vnico tormento proteruntur.
 Aiunt in vnus horum femoralibus, repertas litteras, ſalui
 commeatus, ab hoſte: vœnalis ad explorandum anima.
 Laxabatur interea continuã diſploſione murus, donec
 nocturnæ, tamenſi breues tenebræ, tormentario furori
 inter-

intercessissent. Harum beneficio, hiatus, impactis palis, & implexis cratibus compositisque cespitibus, plane occlusus: redditaque ibidem mœnia, contra vim tormentorum, magis quam ante, robusta. Laudauit admodum Gubernator Ciues, quod licet arbores & plantaria sua, ad conficiendos palos & fudes, & crates ac sepes, radi à terra viderent; nihilum tamen fuerint oblocuti. Ita priuatis commodis, publica conseruandæ Urbis, cura præibat. Quando per maxima terrarum spatia, tanta celeritate promouebat hostis, accessiones suas ad Urbem: erat opus infinita prope modum prudentia, ad præoccupandos aditus ipsius. Animaduertat Protribunus Eynthouts, Arschotanam portam ad læuam, egressis, vltra Diliam, montem esse, quem Olorinum vulgò nuncupant. Hunc si forte fortuna contigisset vniquam, ab hoste insideri, nulla equidem ex parte, potuisset tantam, quantam hæc, maioribus tormentis, stragem edere. Cum enim vnus tantummodo viæ communis interstitio, mœnium fossas radat; longe lateque prospectat in Urbem, & in ipsum vallorum introrsus sinum, ab Arschotana, vsque ad portam Thenensem. Iam vero obuersa sunt, contra hanc plagam, omnia prope Oppidi Tempia in latum, adhæc optime conspicua, tum propter altitudinem montis, tum humilem fatis, Urbis hic planitiem, quæ nullibi assurgit. Iudicabant omnes in vltimum discrimen, adducendum Oppidum, si, qui non procul inde iam aberat hostis, montem vniquam tenuisset. Cum idem Protribuno, quem dixi, videretur, militum suorum robur aduocauit: qui cum breui admodum temporis spatio, cerasos omnes, aliasque arbores, quibus montis erat consitum solum, deiecissent; ex earum truncis & ramis, egesta ingestaque terra, vnus dici & noctis spatio,

quatuor castella construxerunt, & omnem montis limitatem occuparunt. Inter hæc quatuor, maius vnum est, quod forcipe suo adiacet viæ, inter montem, & Urbis ibidem fossam: tria minora, sub æquali in latum distantia, ante maius quod dixi, collocata sunt. In his militem suum Protribunus metatus est: qui dum proprijs manibus eductum opus, continenter & strenuè tuetur; hac parte, fatali periculo Urbem absoluit. Promouente per noctis silentium, accessiones suas ad Speculam, & Portam Mechliniensem hoste; excursum, & incursum iterum in eum est. Id autem tam acriter factum, vt matutino die plenis carris, visa fuerint cæsorū cadauera auferri. Sed quod interea attinet id, quod scripserat Sereniss. Princeps Cardinalis, dum cædendo foris hoste occupatur miles, & cædentibus Ciues ac Studentes, è mœnibus secundant; transijt ad portam Thenensem Gubernator, ibique sub noctis meridiem, quatuor fere equitum turmas, cum puluere nitrato, cuius multas quisque libras ferebat, (viginti quinque alij, alij quadraginta aiunt) intus in Urbem recepit. Sunt qui existimant octolibrarum pulueris millia, his baiulis Equitibus, præter ingentem funicularum lychnorumque copiam, in Urbem esse illata. E vestigio hæc fama, ad nostros in mœnibus, & foris certantes peruenit. Quare elata plurimum voce ouare, & Francos, Parisios, aut Papiam per ludibrium mittere, vbi captus eorum, ab * homine Belga, Rex Franciscus, didicit ferre iugum Austriacum & Hispanicum. Operæ pretium est audire, qua via & modo, quos dixi, Equites, Louanium Bruxellâ appulerint, quando media omnia hostis insidebat. Erat sabbatum dum mane exirent. Pridie tamen illius in Cœnobium Virgium, quod Camera, iuxta Bruxellam, delati clanculum fac-

Carolo
 Lanio

lum sacci scortei, nitrato puluere pleni: & igniarij fomitis magna copia. Post sequente die portæ Bruxellenses, in circuitu Urbis clausæ tantisper, neque præter hos equites villus dimissus. Fido ergo ductore, per siluarum & semitarum angustias, peruenerunt ad vnum aliquem pontem, quo transmittendis suis Diliam hostis coniunxerat. Per hunc temperato incessu, in tanta hostium vicinitate, gradum promouerunt, bene obseruato sclopetorum suorum silice & chalybe: atque ita dispositi, vt qui funiculos portarent, ad auertendum saltem aliquorum periculum, auram & ventum exciperent: pulueris autem baiuli, si per incuriam incidisset ignis, soli cum abeunte vento perirent. Numquam nocet abundans cautela. Sed interim salui, omnes, & integri appulerunt. Postquam id factum, accensus est è specula ignis in ferrea trulla: & constitutis alibi, ad captandum indicium hoc, significatum appulisse. Hosti pauor suus, & coniecturæ liberæ relictæ. Quia diutius, sicuti par erat, non arsit hic ignis: exporrectoribus ipsius, à continuo tormentotum boatu fortasse territis, quod speculæ cacumen, etiam bombardarum glandes terebrent; constitutis captatoribus non est visus: adeoque cum cæsos equites, aut disturbatos saltem, quisque Bruxellæ formidaret, non prius exuti sunt opinione sua, quam idem ille, qui, sicut dixi, adduxerat, rediisset ad Principem, & quod reuera factum fuerat, coram enarraret. Id postero die, aut nocte saltem euenit. Hodie ad vesperam Studentes & Accensi cum Religiosis, diuersorium suum & excubias, habere ceperunt in Hallis, qui ante hac in Arce, Doctores quot noctibus, in Curia potissimū excubabant.

Prima Iulij.

Hodie diluculo globus quidam tormentarius, ex ære campano, decem circiter librarum, in Cœnobium S. Augustini delatus est. Penetrauit vtriusque granarij tectum: murum deinde inter hortum & arcem Collegij literarij. Quamuis autem supra quadringentas oues, in area stabularentur, ac vicinus ferretur terræ globus, nulla tamen earum læsa est. Eadem opera adscribam, quot in sacris ædibus, alibi quoque deciderint, quamquam non obseruato tempore aut die, quod is annotatus in vniuersum non fuit. In Abbatiam Vlrirbecanam, proiecti sunt duo è maioribus: quorum vnus inibi, in hospitium Tribuni Prestoni absentis, cecidit, non incidit. In medium horti deinde proolutus est, quem vtrò citroque inambulabat Abbas ibidem, Reuer. & Amplifs. D. Petrus Scribs: catenus, vt alia omittam, laude dignissimus, quod sine vlla formidine aut fuga, non aliam sibi & suis, quam quæ imminebat Vrbi obsessæ, fortunam expectarit. Delatus quoque vnus in S. Gertrudem, è minoribus, quo loco domicilium suum Prælatus habet, & diuersorium tantisper habebat Protribunus Eynthouts. Quatuor in Cœnobium Prædicatorum: quorum vnus è duobus, quadraginta circiter librarum, per Templi fenestras in Bibliothecam irruit: alius quidam minor delatus in valetudinarium. Tres sine magno damno conquierunt apud Minores: quorum è mediocribus vnus, imbrices aliquot Ecclesiæ, secum abstulit. In Carthusiam emissus vnus quadraginta-quinarius, vix penetrauit tectum. Alexiani sex, duodecim omnes librarum acceperunt.

In Cœ-

In Cœnobium Virginum Anglarum, S. Monicæ nuncupatum, ei aculati è maioribus sex, cum tolerabili damno: septimus enim innoxius fuit. Ad Cœnobium Virginum in media platea, eiekti nouem: partim ibidem quieuerunt, partim aliò commigrarunt. Collegium Canonicorum Regularium S. Augustini, mediocris ponderis tres, tantummodo salutarunt. Denique penetrarunt Nosoconium decem aut vndecim, maiori domus quam ægrorum damno, tametsi non longe ab eis sibilando errarent. Hi in vniuersum, quinquaginta sunt. Alijs quibusdam sacris ædibus, alios globos inferri potuisse, non infitior: sicuti nec ignoro priuatorum plerasque domos tactas; sed quoniam hæc loca cæteris celebriora sunt, & plus aliquid sustinuisse dici poterant; visum idcirco horum solummodo meminisse. Hodie intelliguntur, partim appulisse, partim accelerato gradu appellere, auxilia Germanica. In his quæ appulerant: Picolhomini, Generalis omnium ductor, prælio Nortlingano famatissimus Heros, iter ad Flerucenses & Niuellenses partes, capeffuit. Pone sequebantur alij, sub imperio Isolani & Colorado: toto orbe cantatissimorum nominum, ob crebras & celebres tota Germania victorias. Numerus in vniuersum omnium, vti paulo post intelleximus, id est tam Equitatus quam Peditatus, erat ducentarum quadraginta octo turmarum & cohortium. In his, quamplures Croatarum, sane audacissimorum militum. Quamuis nullus esset in Vrbe pauor: nulla cessantis mercimonij & lucri, apud ciues querela; nihil obfuit tamen, huius rumoris constantia, vel tantum animari. Quia ad latus portæ Mechliniensis, propter apertum vtrumque murum, expectari poterat assultus, & irruptio hostilis; huic periculo in omnem euentum, prospiciendū sibi Prestonus putauit. Filium
ergo

ergo suum, dignam patre prolem, quem alibi ante, ibidem nunc cum suis collocauit: sub directione Ferralli, veterani militis Hiberni, ex Capitaneo. Verum cum animaduertit hostis, hiatum quem fecerat, vt dixi, obstructum: atque hic desperaret fortasse; tormentorum ibidem viribus deinceps abstinuit. Hac nocte Ciuis quidam, dum bombardam è mœnibus, circa speculam laxat in hostem; visus fuit tredecim aut quatuordecim incendisse: nescio quo casu. Totidem enim, alter post alterum, videbantur in luculentis flammis, per cuniculos suos aufugere. Cuculos fortasse puluerarios, vnus incendit, qui è Zona vtcumque lata à scapula in alterum latus dependet: adeoque hic ignis, vicini semper vicinique eundem baltheum inuasit, donec omnes ambusti, inde se proripuissent. Testis oculatus est huiusce rei, cohortis vnus Ciuium Præfectus V. N. Alphonsus Fusco, Fabij, strenui quondam ductoris per Belgicos tumultus, filijs.

11. Iulij.

QVia parum erat, continuis tormentis, mœnia concutere, & aperire: quamdiu in aggeribus suis nostri, foris excubabant; ideo ad eos depellendum, aliud inijt hostis consilium. Quos impressione facta, loco mouere desperabat, statuit suffossis cuniculis, tollere in altum, & distflare. Id factum vtrimque ad Portam Vinearum, vbi propius ad aggeres nostrorum accesserat. Iam enim è Ceraseto hinc, & ædicula Sepulchri Dominici inde, eousque se ductorijs fossis porrexerat; vt dimidiata hasta petere inuicem possent. Vt autem huic quoque conatui, obuiam iretur à nostris;

nostris ; contra sunt acti cuniculi : ita vt à latere Cerafeti,
 infra hostiles, tribus pedibus altius in terram abitū sit. Sed
 interim horum cuniculorum nulli disrupti sunt : quam-
 quam ad disruptionem, comparata à nostris necessaria om-
 nia ; quod & sua, & nostra opinione citius, hostis paullo
 post vasa conclamarit. Inceptum quoque suffodere Vinearum
 Portam, ex cauea subterranea, quæ ibidem : si forte
 illius displodendæ, orta fuisset quandoque necessitas. Ho-
 die ante meridiem, dum inter Mechliniensem & Vinearum
 Portam, moenia frequenter hostis verberat ; stabat
 post murum inter alios quidam, miles Hibernus. Tormentarius ergo globus, delatus in murum, eundem per-
 fregit : atque totum hunc Hibernum, dissilientium late-
 rum nube inuoluens, eidemque præripiens, ex vna parte
 pilei margines ; cetera, reliquit prorsus illæsum. Pius,
 nec ingratus Hibernus erga Deiparam, cuius hac die Vi-
 sitationis Festum agebatur, pileum suum, ad eiusdem, in
 medio Templi principalis, collocatam Imaginem, consc-
 crauit : quod incolumitatem suam, vt aiunt, quot diebus
 hic Virgini commendauerat, quam conseruatam nunc spe-
 cialiter, ei referebat. Cum autem simus in exemplo pieta-
 tis ; prætereundæ non sunt, quotidiana priuatorum Sup-
 plicationes, quas nudis pedibus, ad pueros vsque innumeri
 peragebant : diuinum auxilium in hac necessitate, per
 Virginem implorantes. Licebat ergo intueri, frequentis-
 simam, à mane in vesperum, in summa præsertim Æde
 deuotionem, vota sua & orationes, Domino Deo Sabaoth
 offerentium : adeo vt solutam paullo post obsidionem, in
 singulare prorsus cæli beneficium, non immeritò retuleri-
 mus. Quod nouam tormentorum seriem, contra Specu-
 lam, hostis adornaret, murum hic iam, derelicta ea parte,
 F quam

quam ad Portam antea Mechliniensem verberauerat, quassaturus; exstructum est intus, paullo infra murum, ex palis, fascibus, cespitibusque vallum, siue lonica, habitura hunc usum, vt deiectis ibi muris, succedaneum munimentum foret. Pessimè quoque habebat hostem, omnia opera sua, ex hac Turri despici & explorari: ac præterquam quod Statuis Breseanis, non minimum inde damnum fuisset illatum; frendebat tot indies è suis, bombardis manualibus peti. Vnicum enim hominem constat, ex eadem Turri, supra triginta, emissis glandibus, peremisse. Tormentis igitur, in suggestu, quem altissimis vndequaque fossis munierant, ad inuidiam suggestuum ceterorum, vbi dixi, compositis, conati sunt, sed frustra, auertere hanc noxam. Si quidem Turris, ex albo duroque lapide, opere coronario eleganter facta, in spissitudine totius muri, numerat supra pedes octo. Ruprum alterum apud hostem tormentum, captique plures, & in Urbem introducti, fame siti que confecti, dum non panis tantummodo penuria, sed & aquæ tanta caritas in castris erat, vt poculum, quatuor ad minus assibus vèneret. Nam etsi flumine, hinc inde castra clauderentur, vehemens tamen æstus, fluminisque distantia, aquarum inopiam faciebant. Quid autem de Cereuisia aut Vino? Hoc, siue vappa, siue villum, integro Patacone, quem vocamus, in singulas mensuras, vèniisse certum est. Istius, nulla aut tenuis admodum copia. Capti etiam nonnulli pro exploratoribus in Vrbe, qui Ciuium Militumque animos tentaturi venerant: munitiones omnes, tum rei quæ cibariæ, quæ tormentariæ apparatus. Inter hos aiunt fuisse, qui litteras ad Auriacum deferebant, quibus monebatur tempori sibi prospicere, pleno gradu copias Germanicas aduentare. Fidem postea

hisce

hisce rumoribus certissimam fecerunt, litterarum Colonia
 & Leodio scriptarum, plures dilaceratæ particule, quæ
 in castris, iuxta aream, quâ fuerant Auriaci tentoria, re-
 pertæ, cum forent rursus inuicem sollerter innexæ, legi
 etiamnum possunt. Significatum idem Castilionio, cuius
 post solutam obsidionem, inuentæ litteræ in Cœnobio
 Banckenfi. His, præter aduentum Germanicarum copia-
 rum, scribebatur Leodio, magnam panis cocti vim, qui
 tarditatem & moram, venturi ex castris, militaris condu-
 ctus, tolerare non potuerat, adeo fuisse corruptam, vt de-
 buerit in aquas proijci: idemque altera vice euenturum,
 de reliqua prouisione, nisi quantocyus mittatur auferri.
 Quia ergo ab emissarijs hominibus, aliqua in Vrbe formi-
 do, nemo, sine licentia Gubernatoris, egredi permissus est.
 Ita speculatus omnis, hostibus interclusus. Equites, quos
 antè cum puluere appulisse dixi, quia tantisper in Vrbe
 remansuri erant, ad omnem occasionem rei gerendæ, con-
 filio vtriusque Magistratus, Academici & Urbici, per di-
 uersoria distributi sunt: & è communibus medijs, diur-
 num singuli, pro officijs suis, stipendium acceperunt. Ho-
 rum nonnulli, dum sub vesperam, pabulatum equos, extra
 Portam Thenensem educunt, Gallos aliquot aberrantes
 à via, & inquirentes, veluti à suis congerronibus, de castris
 Auriaci, aut occiderunt, & spoliarunt: aut deduxerunt in
 Urbem captiuos. Iam enim Diesthemio accedebat ad ho-
 stem commeatus alter: sed quem Galli, nummis aureis
 referti, præcurrebant. Fama quoque fuit, Auriacum, re-
 dituris Bruxellam Equitibus nostris, plures tum turmas,
 tum cohortes è suis, in insidijs collocasse: quæ superuaca-
 nea astutia, magno ei steterit, plurium nimirum captiui-
 tate, & cæde suorum. Hac nocte, Prætor Urbanus, Ioan-
 nes

nes vander Vorst, cum in Urbis vallo, Prestono Hibernorum Tribuno adstaret: & hostium æneæ machinæ, validissimis ictibus, muros concuterent; exsiliente in tibiam lapide, vulnus accepit: leue istud quidem, sed pro periculo, quod nullus vquam ipse declinauit, gloriosum.

111. Iulij.

DVo sunt non indigna memoratu, quæ hodie contigerunt, sed inuicem ferè contraria. Vnum spectat Sereniss. Principem Cardinalem: alterum, Auriacum. Prius de Cardinali dicam. Appulerunt ab eo litteræ ad Gubernatorem, non iam ipsius manu propria, sicut aliæ, sed ob tantillam ægritudinem, alienâ conscriptæ. Agebat gratias Gubernatori & Ciuibus, pro strenua, quam præstiterant opera, in auertendis hac obsidione hostibus. Deinde addebat, ad futurum se, vt videri ab obsessis possit, intra diei spatium, & liberationem allaturum. Hæc summa litterarum est, quas ad Magistratum, in quo statim perlectæ sunt, sine mora quoque, Gubernator dimisit. Vidimus, expertique sumus, non intra solam formulam, stetisse promissum. Deprehensum ergo postea, quod quibusdam tum videbatur, coniunctas esse, nostras Germanicasque vires. Alterum quod gessit Auriacus, tale est. Destinato iterum ad Gubernatorem Tubicine, dedi sibi Oppidum postulauit. Respondit Gubernator: quod ad se, Baronem Grobendonquium attinet, priuatum, quod sciret Auriaco placitum obsequium fore, non detrectare: sed quod Gubernatorem; commissum sibi Oppidum, vt Regi seruaret, non vt traderet Auriaco. Tum vero, Domini sui nomine, minas ad-

nas addit Tubicen. Si dedere id nolit, ferro & flamma vastatum iri: neque præstiturum Auriacum, vllam vel ipsi Gubernatori, vitæ gratiam. Ad quod, vade, inquit Gubernator, dic Auriaco, me clementia ipsius, & vitæ gratia, nullatenus indigere. Toto hoc die, rubeum vexillum, in castris hostium, mediâ viâ inter Portam Mechliniensem, & pedem Roosfelani montis in machinario suggestu, defixum apparuit, indicium, sicuti conijcio, alterius legionis præfidiariæ illuc introductæ: vel certe, ad internecionem delendæ Vrbs, quasi nimirum præter extrema omnia, gladium & ignem, nihil denique nobis iam miseris restaret. Venerat eodem die, ad Gubernatorem, è castris Gallorum Tubicen, repetitum captiuos. Is, cum neque litteras mandati & fidei, producere, neque designare captiuos posset, Gallicaque loquacitate dumtaxat, rem sibi commissam perageret; equo, & tuba multatus ad dominum suum remissus est: cui significari Grobendonqui iubebat, vt diligentius in posterum, iuris & moris bellici peritiæ, operam nauaret. A meridie, notarunt ex mœnibus curiose nonnulli, ante Vinearum ferè Portam, non ad illum modum quo hætenus consueuerant, in arcis suis tormenta maiora, verti & reuerti. Incidit eis cogitatio, vtrum nè fortassis hostis, ea vel succinxisset, vel retraxisset? Videbatur inde suspicio confirmari, quod solitò rariùs iam, & non nisi contra speculam exploderet (cuius supremam porticum, cum tecto, nonnihil offendit) duobus tantummodo tormentis. Parum abfuit hodie, quin Auriacus, dum alibi in tenui comitatu oberrat, & fortasse viarum, ad ineundam fugam commoditates ruspatur; aut ab equitatu nostro captus, aut glande maioris tormenti fuerit traiectus. Expectabatur auidè in castris, ex ditione Leodiensi comiteatus:

qui quod hesterno, eoque statò die non appulisset; dicebatur Auriacus totus esse in fermento. Dum ergo sub vesperam, cœperat appellere, exploratum quidem à nostris fuit, vtrum nulla sese, in eo disturbando, occasio offerret? Sed quod equitum peditumque turmis, vndique nimis obsecruaretur, nihil vtiliter potuit circa illum geri. Et licet paullo post, appulerit incolumis, in castra, præter duos carros, quibus cum rustici decurtarunt, pane, vestibus, vinoque onustos, tam inops tamen, & tenuis fuit, vt vix nomen commeatus mereretur. Obsidione soluta, quoniam dumtaxat hæc sciuimus; more hætenus solito, dum in mœnibus excubant milites, ad diuersoria sua, Ciues, cum Studentibus & Religiosis, (quamquam aliquis esset, de hoste discessuro rumor) profecti sunt. Metuebant enim, ne quam nondum fecerat hostis impressionem, faceret aliquando, dum minimum suspicaremur. Hæc causa est, cur nulla vumquam sollicitudo prætermissa sit. Dum ergo infistitur solitis, venit ad suos, paullo post noctis meridiem, in Porta Mechliniensi Prestonus, (qui tot omnino horis, quot iam obsidionis dies præterierant, vix quieuerat) & interrogauit. Quid rerū in vicinis aggeribus, hostis perageret? Responsum illico, ne vnū quidem percipi aut exaudiri. Tametsi cælum nonnihil plueret; irruptionem fieri iussit in hostem: qui quod in receptum suum, omnis se plane retraxerat, cum vniuersis vbique tormentis; magna voce Hiberni exclamarunt; sicuti res erat, aufugisse. Lætum hoc nuntium, continuo Prestonus ad Gubernatorem detulit: qui orto iam die vnum aliquem suorum cum litteris, Bruxellam destinauit, baiulum vtique tantæ felicitatis. Nomen huic erat, Nicolaus de Terne, à duodecim plus annis Gubernatoris domestico, & quondam vnius centuriæ ductori:

ductori: quem, cum Sereniss. Princeps, didicisset ex litte-
 ris, turpem hostium fugam; donauit magni ponderis
 aureo torque, è quo numisma dependebat, cum sua
 ipsius effigie hinc, & regalibus armis, inde. Ad hæc
 proximè vacaturam, equestris vnus turmæ præfectu-
 ram, addixit. A Sereniss. Principe Cardinali, cum
 se ad Marchionem D' Aytona, idem significaturus Viluor-
 diam contulisset; rei nouitatem admiratus Marchio, res-
 pondit: hoc opus non hominum, sed plane esse Dei. Ab eo
 igitur nuntij sui præmium, Hispanicum torquem, Philip-
 peorum circiter centum, accepit. Ceterum quem Cardi-
 nalis donauerat, collum & pectus, quater aut quinies am-
 plexum, paullo post iterum Louanij, visus est nobilis ille
 tabellarius gestare. Prætereundum non est, quod & ipsum
 hostem, discessus sui, & soluendæ obsidionis, clarè puden-
 rit. Nec enim tympano aut tubâ cecinit receptui, sed solâ
 circumeunte fistulâ, ne ab obsessis audiretur. An fortasse
 metuebat, quatuor millia, quæ in Vrbe erant, suorum quin-
 quaginta persecutura? Sed vt dixi, rubor id fecit, & igno-
 minia, quam solam secum fugiens aufererat, conscientia.
 Hæc sunt quæ muta tympana, & silentes tubas faciunt.

IV. Iulij.

T Vrpiter obsidionem, & magnâ infamiâ deseruit ho-
 stis: vt qui duobus potentissimis exercitibus, suo, &
 Gallico, à quibus subactum omne ferè Belgium, fama iam
 vulgauerat: non tantum non potuerit, Urbem Academi-
 cam expugnare; sed neque vîquam ausus fuerit, vel vnica
 eam impressione petere. Nam quod, & quoties cæsus est,
 nostra.

nostra id virtute factum : dum in euniculis ac fossis suis
 quæritur, & inuenitur. Vt ergo nondum ista sufficerent;
 adit eum illucescente die cum suis, in monte Roosselano
 Prestonus: non iam pedites in fossis; sed equites in monte
 cæsurus. Proculdubio autem fecisset; nisi propter auxilia
 pedestria, quæ accedebant, consultò retrocessisset. Abcunti
 hosti, placuit valedicere magnis tormentis, quâ fuerat ante
 carimonia salutatus. Ludum suum pristinum, Perillustris
 D. Præpositus S. Petri, id est Machinas tormentarias re-
 petijt: dumque è regione speculæ, ad veteris, quem vocant,
 Roosselani montis pedem, contra nostrorum excursiones,
 equitatus descenderet; in hunc, non sine multorum
 clade & sanguine, admodum dextrè, iteratis i&ibus explo-
 sit. Pulso deinde equitatu illo omni, cum prope Bruxel-
 lensem Portam, disposita tormenta laxaret; inter alios cui-
 dam, cubito tenus, brachium plane sustulit: altera manu,
 per cuticulam dumtaxat tenuem, à radio dependente.
 Hunc, cum in Ædicula contra Cœnobium Banckenſe,
 in qua publica sollempnitate dux Brabantiæ, nouiter inau-
 guratus, iuramentum præstare solet, vidimus; fatebatur
 hanc sibi cladem, maiore tormento factam. Constat, hunc
 vltimum ictum fuisse, quem idem S. Petri Præpositus di-
 rexit. Arbitror autem, hunc modo inermem Gallum, ad
 laxandum sclopum suum, alibi stetit paratum: cum ecce
 desubito, non hostilitatis dumtaxat; sed vitæ instrumentis
 multatus est. Emisso per Portam Bruxellensem; cum Pe-
 ditibus quibusdam, Legionis D' Aubremontie & Wefema-
 liæ, qui manibus suis tormentum vnum campestre traher-
 eant, equitatu, repente fugati partim, partim cæsi sunt;
 qui ab Arce Heurienſi Diependaliūvsque, Statua sua ha-
 buerant: adeoque plane tractus ille purgatus. Et hæc qui-
 dem

dem tum bono mane, tum adolescentē iam die gesta sunt: quo conijcitur mihi cæsus, qui in Sacello montis Caluarix sepultus est, infra gradus ad læuam, cum hac epigraphæ:

*Il Seigneur Graualdino,
est braue Canallero,
Car s'il se fusse rendu,
ma foy il eut esté pendu.*

4. Iuliet 1635.

Ex quo patet transfugam fuisse. In foro deinde prædam suam, quam è commeatu pridie obtinuerant Rustici, sub hasta vendiderunt: panes, aliaque. Sane carrus iste, quem panibus onustum sustulerant, quinque equis trahebatur: tribus aliis. Tanta festinatione discessit hostis, vt casulas suas campestres incendendi (quod vsquequaque vsitatissimum est) otium non habuerit: imò qui in domo prædij Diependalij diuersati fuerant; reliquerint adhuc mensam fratam & structam: feruentes item aliquot ad ignem ollas, in quibus mediocres pomorum pirorumq; gemmæ, ad oblonium coquebantur. Fructus enim, adhuc iam tum male erumpentes, quos dixi: & Persicos & Armeniacos, omnis generis; vndequaque famelicus & sitibundus hostis, depastus fuerat. Stabat in ordinibus suis sub quartam pomeridianam, in simitate montis, vltra Sacellum Caluarix, postrema hostis acies: cum ecce Groatæ nostri, quorum Equestres turmæ quatuor, paulò ante appulerant, ardent in eadem: adeoque pede suo, tantum non pedem hostium

hostium premebant; vt diceret eadem adhuc vespera, dimicatu-
ros. Sed interim plures hinc inde, ab acie errantes,
contrucidarunt. Memorabile est octodecim tantummodo
ex eis, postremam hanc aciem, sicut in monte stabat, auda-
cter & fortiter transitu perfregisse, è suis vnico solum in
facie vulnerato. Hæc dum agerentur, sedebat ante portam
Bruxellensem in sella gestatoria, Gubernator: Heros inter
alia felix dierum; quod victoris sui, pulcherrima catastro-
phe, modo se victorem videat. Diliam exstructis pontibus
in Pago Wychmael, & contra Toparchiam Attenhouiam,
hostilis exercitus transmisit. Priusquam pontem suum pos-
trema acies, teneret; in vliginosum satis locum incidit.
Quare dum quæ secum adducebat tormenta, altiùs in vli-
ginem subsedissent; horas aliquot retrahendis eis, aut extra-
hendis triuit. Et hoc primum in limine offendiculum.
Paullo post enim, vbi ad Diliam peruenerat; vidit aquarum
exundatione, (obicem Louanienses attraxerant) adeo
intumuisse: vt pontes hostium, vnà secum abstulerit. Nisi
maluisset præda Croatarum malleis, & machæris fieri; no-
uos illico pontes exstruere debuit, aut fractos colligere. Per
hos, ea die, postrema etiam acies, flumen transmisit: cate-
nus saltem felix, quod plures nondum Croatarum turmæ
appulissent.

v. Iulij.

Panduntur Porta: inuauit ire, inimicaque castra;
Desertosque videre locos, fossasque relictas.

Inceperant quidem heri ab Oppidanis & militibus, vacuæ
hostium casæ, quibusdam in locis diripi, spoliari, incendi:

at vero

at vero hodie in omnibus. Magna est, ablata inde, armorum, thoracum ferreorum, aliarumque rerum vis. Sicuti reperti in fossis & accessionibus ad Urbem, plures insepulti, aut semisepti: quibus deinde totum, vel quod decrat terræ, iussu Magistratus iniectum est; ita in his casulis, læsi & vulnerati quamplures: quibus humano quidem more, nonnulli compatiiebantur; sed alij, etiam mulieres infremebant irâ. Multorum interim à Sacerdotibus, exceptæ Sacramentales confessiones, Gallorum inquam Catholicorum. Plerique non casas dumtaxat; sed occisorum vestes rimabantur: & quia reperiebant in eis, plus quàm portorij nomine, Charonti debebatur; equidem auferebant, & cadauera contegebant humo. Animosiores tamen Hiberni, non petebant mortuum, sed viuum adhuc hostem. Quapropter in paucis egressi, viginti ex hostibus, cum vno Capitaneo interfecerunt: & spolijs omnis generis, redierunt non onusti solum; sed & illæsi. In Statijs hostium, videre passim erat, manuales molas, ibidem derelictas: quibus cum piper rusticani nostri coci, frangere soleant; ipsi nunc grana sua (si bene sicca) molebant: tanta erat panis & farinæ penuria. Sane reperti sunt à nostris paullo ante, qui in alveo etiam baptismali Ecclesiæ Wilfelenis, factis pistillis grana conterent in farinam: è qua deinde in furnis à se constructis, ex latere, aut cauata tellure, fatuas potius placentas, quàm panes conficiebant. Constat enim militem, in vniuersum, non vltrà duabus vicibus, panum distributionem adeptum. Iam vero quod attinet ad loca sacra, quæ per obsidionem, occupauit hostis; sicut hodie vidimus, dicemus. In primis Heuriensi Cœnobio, quod licet extra castra, vicinum tamen eis erat, in nulla re nocitum: forte quod à Religiosis Gallis inhabitatum, qui & ibidem

remanserant. Hic, magno quotidie numero, Galli Catho-
 lici confessi sunt, & sacram Communionem acceperunt.
 Cœnobio Virginum Banckensi, quia securitate gaudebat,
 parcitum quoq; & sæpius in illius Templo peracta Missa,
 imò nonnumquam tertid in die. Sacellum montis Calua-
 riæ, cum Ædícula Dominici Sepulchri, illæsa quoque per-
 manserunt. Et hæc quidem in Statiuis Gallorum. In Bara-
 uicis sub Auriaco, confraçta in Templis omnia, & profa-
 nata. Sanctorum Statuæ in Ecclesia Pagi Winxelenis, na-
 ribus, brachijs, capite truncatæ: loculi Altarium effraçti;
 denique commissa, quæ dictat Geufiorum barbaries. Nihil
 minus actum in Ecclesia Herentensi, & Wilselensi: quas
 potissimum omnes, in equorum stabula conuerterant. Cœ-
 nobium Bethleemiticum Canonicorum Regularium S.
 Augustini, totum intus deformatum. Effraçti sicut in Pa-
 go Winxeleni, & alibi, omnium altarium loculi. Statuæ
 Sanctorum partim conscissæ, partim ante summum Altare,
 sed & alibi in Cœnobio combustæ. Remansit tamen in
 summo Altari, quod dixi, (forte quod editior loco po-
 sita esset) D. Virginis antiqua & venerabilis Imago. In Re-
 ligiosorum cellis, nihil integrum: sicut nec in alijs rece-
 ptaculis, aut officinis: plena omnia sordibus, fetoribusque.
 Ab incendio tamen redimi debuit summa sexcentorum
 quinquaginta florenorum, dum fugam aut abitum, hostis
 pararet. Poterat nunc desiderari militum, apud nos cæso-
 rum numerus: sed qui propter præmaturam Legionum
 profectioem, commodè inuestigari non potuit. Per ob-
 fidionem autem ideo facere negleximus: quod sufficeret
 scire, victoriam semper penes nostros steterisse: neque ad-
 modum intererat cæso- rum numerum accuratiùs explora-
 re. Habeo interim à Centurione legionis Wefemaliæ, tri-
 ginta

ginta fere ex ea cecidisse: inter quos ex sua cohorte, affirmabat esse quinque. Ex Hibernis, qui continuis periculis maxime fuerunt expositi, cæsi ad summum viginti quatuor: vulnerati, quadraginta & vnus. Mirabile vero est, quod duobus, ante solutam obsidionem diebus, contigit, Hibernicæ fortitudinis specimen. Erant quibus continua displotio bombardas ruperat: & vulnèra, non vno in loco corpus. Hæc parum admodum aut nihili potius facientes; solam deplorabant armorum iacturam. Quare neque curatis, neque obuolutis vulneribus, ad Curiam venerunt: id vnum obsecrantes, vt nouis armis donarentur. Tres alij, cum essent grauissimè saucij: maluerunt cum emplastris suis & linteis, apud ceteros in mœnibus, sicuti poterant, arma tractare, quàm decumbere in lecto, quem paratum iam in Nosocomio, pro vulnerum periculo, habebant. Læsi quoque ex Minoritis Hibernis duo, qui fere perpetuo, aderant suis: vnus quidem à dissiliens faxis: à nitrata glande alter. Ex alijs Legionibus, dabo numerum, dum sciuro. Certum est, quorquot Louanij Præfidiarij fuerunt, ob rem tam strenuè & fideliter, ipsa quoque hostium confessione gestam; non laudem dumtaxat omnes, sed mereri, magna præmia. Non immerito Sereniss. Princeps Cardinalis, datis idcirco ad singulos Tribunos, & Protribunum Eynthouts litteris, magnas eis gratias egit: neque se muneris hic præstiti, vmquam futurum immemorem spondit. Idem fecit Gubernatori: Magistratui: nec non Vniuersitati.

G 3

Earum

Earum ad Gubernatorem hic tenor est.

Ferdinand par la grace de Dieu Infant d'Espag.
Lieutenant Gouverneur & Capitaine General des
Pays-bas & de Bourgoigne &c. Cher & bien aymé, Nous
auons ony tresuolontiers, ce que ce porteur, nous à repre-
senté de vostre part, en veriu de la creance, sur ce, qui
s'est passé à la retraite des armées ennemies de la ville de
Louvain, & ne nous treuans, en rien trompé des espe-
rances, que nous auions conceue de vostre valeur & pru-
dence, nous auons bien voulu vous en remercier & as-
seurer que nous en auons tresparticuliere souuenance, en
occasion de vostre bien & auancement, & de vostres. A
tant, Dieu vous ait Cher & bien aymé en sa sainte gar-
de, de Brussel. le 5. de Iuillet 1635. Ro. vr.

El Cardinal Infante.

Ad Vniuersitatem vero, hic.

Ferdinand par la grace de Dieu Infant d'Espagne
Lieutenant Gouverneur & Capitaine General des
Pays-bas & de Bourgoigne &c. Venerables, Chers & bien
aymez, la part que vous auez acquise, par vostre soing
& vigilance dans les causes de la retraicte des armées
ennemies, de la ville de Louvain, nous donne subiect de
vous en scauoir tresbon gré, & dire que nous n'en per-
drons iamais la memoire, pour vous en faire sentir, les
effets en occasion du bien & aduantage d'icelle Vniuersi-
té. Et Dieu vous ait Venerables, Chers, & bien ayez
en sa sainte garde, à Brux. le 5. de Iuillet 1635. Ro. vr.

El Cardinal Infante.

Similes fere sunt, quas ad magistratum dedit. Cæsos ex hostibus supra duo millia, hac obsidione Louanienſi plures affirmant: vt taceam de fugitiuis, quorum numerus in triplum excurrit. Gallorum enim paullò post luſtratione facta: deprehenſum eſſe, numerorum prope medietatem deſiderari; famæ constantia nuntiauit. Campanarum ſonitus qui rariùs parciùſque, quoad durauit obſidio, fuerat auditus, cœpit hodie abundè laxari. Itaque in meridie ſignum victoriæ, libertatis & triumphi, horam fere integram, toto Oppido, concrepantes dederunt. Diuino poſtea Numini, per opportunius tempus, publica ſupplicantis Cleri, Populique proceſſione, ſollempnes gratiæ peractæ ſunt: ſtante per ordines ſuos, in foro, totius Præſidij parte: & quod toties fecerat ad terrorem & hoſtium cædem; nunc ad honorem Dei, & lætitiæ publicæ indicium, ſemel iterumque diſplodente. Ergo non ſolâ Vrbe, ſed toto Belgio, itum eſt in gratulationes & gaudia. Nam & exteri, quibus idcirco Louanium cordi erat, quod ibidem non doctri-næ dumtaxat & famæ; ſed etiam fortunæ fundamenta plerumque ieciſſent: eâdem nunc, ſi in hoſtium poteſtatem, veniſſet, decollante ſpe, proſecuturis omnibus; ſummo-pere lætabantur. Mirabatur & ipſe infortunium ſuum hoſtis: & qui toties Louanienſis Oppidi debilitatem contemſerat; fatebatur vel inuitus, id numquam ſibi in mentem, de Louanio veniſſe. Scio, qui audierunt è Ducis Bullionij ore: quod ſi Louanium inter vnus ſemper, alteriuſque Portæ ſpatia, exſtantia & procurrentia, munimenta haberet, quibus vtrimque Portas intueri & tueri poſſet; nequidem à tribus huiuſmodi exercitibus, quali iam vno dumtaxat obſidebatur, expugnatum vnquam iri. Donec planè hoſtis abiſſet, continuatæ ſunt quotidie veteres excubiæ.

Thucyd.
l. 5.

cubiæ, ita volentibus Tribunis. Hostis enim numquam contemnendus est, quantumvis timentis speciem præ se ferat. Festinato interim itinere, Arschotû versus, Diesthemiumque viam capeffens, Ruremondam petijt: quò dum fugientem, compulso primo ad deditiorem Diesthemio, Sereniss. Princeps Cardinalis persequitur; euenit, vt pluribus sæculis inaudito successu, præcordijs nostris, quibus grauis incubuerat, pelleretur: eodemque adhuc mense, in latus ipsius altissimo vulnere, Cardinalis incurreret. Capto enim, virtute & prudentia Protribuni Eynthouts, Fortalitio Schenckiano, sito in insula Grauia, inter Rheni fluminis diuortium, duplo plus inde detrimenti quàm nobis intulit, Thenarum incendio, accepit.

F I N I S.

C E N S V R A.

*Hoc diarium prælo dignum Censeo. Lo-
uanij 10. sept. 1635.*

A. LOVERIVS S. T. L. Apost.
& Regius lib. Censor.